CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

Vol. 44

SCRIPTORES COPTICI

TOMUS 4

ACTA MARTYRUM

I

INTERPRETATI SUNT

I. BALESTRI et H. HYVERNAT

LOUVAIN
SECRÉTARIAT DU CORPUSSCO
49, CH. DE WAVRE
1960

RÉIMPRESSION ANASTATIQUE

SCRIPTORES COPTICI

SERIES TERTIA. — TOMUS I

ACTA MARTYRUM

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES COPTICI

VERSIO

SERIES TERTIA. — TOMUS I

ACTA MARTYRUM

INTERPRETATI SUNT

I. BALESTRI, O. E. S. A. ET H. HYVERNAT

I



PARISIIS
E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVIII

PRAEFATIO.

Cum viginti fere ante annos nostrum qui infra scribimur alter Acta martyrum Aegypti nondum in lucem prolata edere coepisset, pollicitus est Acta omnia sive boheirica sive saidica dialecto conscripta, quae Romae asservarentur se esse typis vulgaturum. Iam primum volumen et delectum codicum phototypice, ut aiunt, expressorum in lucem dederat, cum Professor Archaeologiae biblicae et Linguarum orientalium in Universitate Catholica Americana urbis Washington creatus, ut rationi studiorum orientalium instituendae impensius operam daret, incoepto desistere coactus est; quae brevi tempore se absoluturum esse sperabat nec oneris pondus tam ingens credens, nec se solum illud ferre debere. Ita factum est ut septemdecim anni laberentur priusquam operi incoepto perficiendo incumbere posset. Cum interea alter etiam nostrum nonnulla Acta martyrum Aegypti edere constituisset, iamque opus aggressus esset, tum ambo, consilio inito, omnia martyrum Aegypti Acta edenda suscepimus, sperantes iunctis viribus nos id perficere posse, quod pro se quisque nostrum ad finem perducere aegre valuisset. Textum litteralem maxima cum diligentia, ut est in codicibus exhibentes, edere conati sumus, pluries apographis nostris et plagulis cum illis comparatis; si quid erratum emendavimus, si absens supplevimus, si redundans expunximus, nostrae conscii inscitiae, in margine inferiori notam interrogationis fere semper apposuimus. Voces autem a rectae rationis scribendi praeceptis discrepantes, sic esse in codicibus scriptas in margine admonuimus, non ideo in codice vitium inesse adfirmare volentes, sed utilitati consulere rati eorum, qui rem grammaticalem aut lexicographicam subtilius inquirere in animo habeant.

Voces graecas vel latinas itacismo, vel consonantium permutationibus quae sint dialectis propriae, affectas, in textu ut scriptas invenimus reliquimus : ab amanuensibus vel imperitis vel neglegentibus mutatas in margine inferiori correximus, copticae rationis scribendi praecepta secuti; quas omnes ad calcem pos-

tremi voluminis in ordine alphabetico distributas exhibendas curabimus, rationemque addemus scribendi, qua aureae vel serioris aetatis scriptores usi sint.

Accentus et lineolas quae in codicibus bonae notae saepe litteris superposita inveniuntur, ubi amanuenses apposuerint servavimus, ubi neglexerint omisimus, sperantes non ingratum nos esse facturos eis qui regulas ad recte accentus apponendos ad fidem antiquissimorum codicum instituere cupiant.

Verba quae, ut omnes sciunt, coniuncta, nullo fere spatio interiecto, in codicibus scripta inveniuntur dividimus, id spectantes quod hi qui in hoc opere conficiendo nos antecesserunt, nempe ut expeditius legi possent.

Notam, qua nunc folia codicis discernuntur, in margine exteriori arabicis signis expressam apposuimus, nil aliud addentes, si illa folium rectum seu eius paginam imparem indicare voluimus; nec notas omisimus, quae more coptico litteris expressae paginas pares distinguunt.

Quae in codicibus lectores vel amanuenses addiderint, ita edidimus ut invenimus, nec errores quibus haec sunt referta emendavimus; quid in huius modi adnotationibus legerimus e versione intellegi poterit.

Ad versionem vero ipsam quod attinet, illud primum nobis in animo fuit, verbum verbo reddere, quantum utriusque sermonis genus ferret, quo, elegantia dicendi posthabita, accuratius textum verteremus; brevius autem et obscurius dicta, pauca litteris reclinis expressa vel uncis curvis inclusa addentes explicavimus, verbisque, quorum praecipua et propria vis nobis non patet, interrogationis notam apposuimus.

Quod multi solent, singulas voces graecas suis quibusque locis referre, nobis etiam peragere in animo erat; sed hoc saepe inutile fore rati, et ita versionem nimis impeditam fieri, nomina quaedam tantum dignitatum, instrumentorum aliaque id genus in imo margine retulimus, codicum rationem scribendi semper secuti. Nomina propria, nisi usus aut analogia aliter suaserint, *ἄκλιτα* reliquimus, quo facilius genuina eorum forma agnosci possit.

Notas, quibus folia et paginae codicum manu scriptorum discernuntur, cum in textu reddendas curaverimus, in versione neglexiimus; eam tamen arabicis notis instruximus, quibus textus impressi paginae indicantur.

Singulis narrationibus pauca proponemus, ubi et coptici libri manu scripti Bibliothecae Vaticanae, e quibus textum expressimus, et quandoque vel synaxarium Ecclesiae Alexandrinae, vel excerpta a viris doctis ex iisdem codicibus et aliunde in lucem prolata, actaque latina, graeca et syriaca, typis edita notantur, reliquis praetermissis, ad quae inquirenda nec tempus nec facultas nobis adfuerint. Codicum descriptiones, nec non aetas cui sint referendi, apud Mai (*Scriptorum veterum nova collectio*, t. V) reperiuntur, tabulaeque phototypicae, ut aiunt, ab H. Hyvernat editae (*Album de paléographie copte*) conferri possunt.

Reliquum est, ut maximas gratias agamus et eis, qui Gallicae Reipublicae typographeo praestantes, novas litterarum formas parandas curaverunt, et Rev. P. Ehrle, qui, qua est humanitate, nos semper in hoc opere conficiendo summa benignitate prosecutus est.

I. Balestri, O. E. S. A.
H. Hyvernat.

PRAEMONITUM.

Narrationes, quas nunc publici iuris facimus, sicut et aliae quamplurimae posthac a nobis edendae, extant in Codicibus Vaticanis Copticis, de quibus videas A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. V, II (Romae, 1831).

Reperiuntur etiam, plerumque, in apographis, quae R. Tukius, Aegyptius, episcopus Arsinoensis, ex archetypis nostris confecit, et quibus, neglectis archetypis, iam usus esse videtur A. Giorgi. Mortuo autem Tukio, eius apographa Codicibus Borgianis adnumerata sunt. Ea recensuit G. Zoega inter codices quos vocat Memphiticos, in opere cui titulus : *Catalogus codicum manuscriptorum qui in Museo Borgiano Velitris adservantur* (Romae, 1810); et ad eorum fidem excerpta quaedam eidem operi inseruit, archetypis Vaticanis eius tempore Parisiis degentibus.

Apographa Tukiana in Catalogo G. Zoega numeris romanis notantur, arabicis vero apud Bibliothecam Vaticanam, ad quam nuper allata fuere : hanc duplicem adnotationem indicavimus; nec alteram omisimus qua notata erant cum apud S. Congregationem de Propaganda Fide adservarentur, ipsamque uncis quadratis expressimus.

Quod autem ad singulas narrationes in hoc volumine editas attinet haec pauca accipe :

I. — Martyrium sancti Apa Lacaronis.

Cod. Vatic. Copt. 68, f. 1-15 v° (=LX=Mus. Borg. Copt. 118 [J. VII, 13]).

Pauca excerpta edidit G. Zoega, *Catal.*, p. 113-114.

II. — Martyrium sancti Anatolii Persae.

Cod. Vatic. Copt. 68, f. 191-198 v°.

Narratio initio et fine mutila est; nonnulla suppleri possunt e synaxario arabico Ecclesiae Copticae Alexandrinae, auctore Michaele, episcopo Athrīb et Malīǧ, ad diem XI^{am} mensis tubah.

III. — Martyrium sancti Theodori Orientalis[1].

Cod. Vatic. Copt. 63; f. 28-54 v°.

Litterarum specimen vide apud H. Hyvernat, *Album de Paléographie copte*, planche XLI, 3.

Narratio est fine mutila. F. 28 r°, in summo margine legitur : ⲥⲟⲩⲓ̅ⲃ̅ ⲛ̅ⲭⲟⲓⲁⲕ : ϧⲉⲛ ⲁⲃⲃⲁ ⲃⲉⲛⲟⲫⲉⲣ « die xii^a *mensis* choiac *lege* in (de?) Abba Benofer ».

Cf. synaxarium arabicum ad diem xii^am mensis tubah.

Huius martyrii recensio aethiopica nuper in lucem prodiit curis Fr. M. Est. Pereira (*Corp. Script. Christ. Orient.*, Scriptores aethiopici, ser. II, t. XXVIII, p. 123 et seq.).

IV. — Martyrium sancti Apa Sarapionis de Panephōsi.

Cod. Vatic. Cop. 67, f. 90 v°-109 v°.

Paginae 86, 99, 112, 114 perperam notantur ⲡ̅ⲁ̅, ϥ̅ⲏ̅, ⲣ̅ⲓ̅, ⲣ̅ⲓ̅ⲃ̅. Post sextum quaternionem exstat lacuna : de qua vide adnotationem ad textum. Codicem ad hanc narrationem quod attinet, fusius descripsit P. I. Balestri in ephemeride cui titulus *Bessarione*, anno x [1905], serie 2^a, vol. IX, fasc. 85; p. 33 sqq.

Compendiosa narratio, cum nonnullis differentiis, adest in synaxario arabico, ad diem xvii^am mensis tubah.

V. — Martyrium sancti Apatil.

Haec narratio in duobus codd. continetur, scilicet Vatic. Copt. 62, f. 56-172 v° (= LXXIV = Mus. Borg. Copt. 122 [J. VII, 17]), et 66, f. 156-171 v° (= XXI = Mus. Borg. Copt. 113 [J. VII, 8]).

Nonnulla excerpta edidit G. Zoega, *Catal.*, p. 26-27, ampliora A. Giorgi, *De miraculis S. Coluthi*, Romae, 1793, p. lxix, lxxxiii, lxxxv, lxxxvii-viii, xcvi-viii, cxiii-xv, cxxix, clxii-lxxii. Ambo pro Apatil posuerunt Apatia.

[1] Melius sane *Anatolius;* sed cum in Actis latinis ponatur Orientalis hunc morem secuti sumus.

Cod. 62 (in textu nostro = A) praeter omissiones, suo loco notatas, fine mutilus est. Ex eo variae lectiones afferuntur, quae plerumque emendatiores sunt. Cod. 66, f. 156 summo margine legitur : ⲱϣ ⲙ̄ⲫⲁⲓ ⲛ̄ϣⲟⲣⲡ : ⲙⲉⲛⲉⲛⲥⲱϥ ⲱϣ ⲛ̄ⲓⲱⲁⲛⲛⲏⲥ ⲫⲁⲡⲓⲉⲩⲁⲅⲅⲉⲗⲓⲟⲛ ⲛ̄ⲛⲟⲩⲃ[1] : ⲛ̄ⲥⲟⲩⲓ̅ⲋ̅ ⲛ̄ⲉⲡⲓⲡ : ⲉϥϧⲉⲛ ⲣ̅ⲙ̅ⲅ̅ ⲥ ϥⲁ // ⲡⲓⲃ̅ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲉ̄ϩⲟⲟⲩ ⲛ̄ⲟⲩⲱⲧ « hanc (vitam) lege prius, postea lege (vitam) S. Iohannis τοῦ Evangelii aurei, die xvi^a epip, in (libro?) 143, et 91 (?) Ambo eadem die ». Synaxarium arabicum hac die (xvi^a abib) tantummodo refert obdormitionem S. Iohannis Calybitae.

VI. — Martyrium sancti Apa Paphnūti.

Cod. Vatic. Copt. 59, f. 50-57 v°.

Narratio est fine mutila. Cf. synaxarium arabicum ad diem xx^am mensis barmudah; *Synax. Const.*, sept. die xxv^a; *Menol. Graec.*, pars I^a, p. 68; *Martyrol. Rom.*, d. xxiv^a sept. Acta latina et graeca vide apud Bollandum (*Acta Sanctor.*, xxiv^a sept., t. VI, p. 681-688; *Analecta Boll.*, t. XIV, p. 207). Syriaca edidit P. Bedjan sub titulo : ܡܟܫܐ ܣܗܕܘܬܐ ܕܡܪܝ ܦܦܢܘܛ ܘܕܚܡܫܡܐܐ ܘܫܬ ܬܠܡܝܕܘܗܝ ܕܐܣܗܕܘ ܥܡܗ ܘܐܬܟܠܠܘ (*Acta Martyrum et Sanctor.*, t. V, Parisiis, 1895, p. 514-542).

VII. — Martyrium sancti Apa Epime.

Cod. Vatic. Copt. 66, f. 96 v°-123 v° (= XX = Mus. Borg. Copt. 113 [J. VII, 8]).

Auctor narrationis dicitur Iulius de Ghbehs (f. 123). Hic velut actorum SS. Martyrum scriptor, martyr et ipse, celebratur in doxologia, quam edidit H. Hyvernat, *Les Actes des Martyrs de l'Égypte*, I, sub initio.

[1] Οὗ ἦν τὸ χρουσοῦν εὐαγγέλιον, dictus quoque Calybita etc. Cf. N. Nilles, *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae*, Oeniponte, 1896, t. I, p. 70-71.

Nonnulla excerpta edidit G. Zoega, *Catal.*, p. 22-26; ampliora A. Giorgi, *De miraculis S. Coluthi*, p. xxxiv, xliii-lv, lxv-lxvi, lxxiii, lxxvii-lxxx, lxxxvi, xc-xcii, ci-cxi, cxvii-cxxii, cxl, cxlix-cl.

Cf. synaxarium arabicum, ad diem viii^am mensis **abib**.

VIII. — Martyrium sancti Theodori Stratelates.

Cod. Vatic. Copt. 66, f. 172-193 v°.

Narrationis auctor est quidam Dionysius *draconarius* (f. 209 v°). Quae in synaxario arabico leguntur ad diem xx^am mensis **abib** in nonnullis differunt. Cf. *Synax. Constantinopolitanum*, febr. die vii^a et die viii^a; *Martyrol. Rom.* ad diem vii^am febr.; *Menol. Graec.*, viii febr. pars. II^a, p. 172. F. Rossi fragmentum edidit, quod multum a narratione nostra discrepat[1]. Acta latina et graeca vide apud Bollandum (*Acta Sanctorum*, febr., t. II, p. 22-27; *Analecta Bollandiana*, t. II, p. 359-367).

Post narrationem martyrii sequuntur in codice nostro nonnulla miracula (f. 194 v°-210; deest folium, scilicet p. ⲙⲍ̅-ⲙⲏ̅), quae referre opportunum visum est.

F. 184 v°, in imo margine haec possessoris nota legitur : **ⲡⲟ̅ⲥ̅ ⲛⲁⲓ ⲙⲡⲉⲕⲃⲱⲕ ϩⲁⲡⲓⲡ ⲡⲓⲣⲉϥⲉⲣⲛⲟⲃⲓ ⲩ̅ⲥ̅ ⲙⲡⲟⲩϩⲱⲣ ⲁⲙⲏⲛ** ⳨ ⲯⲡ̅ⲇ̅ i. e. : *Domine, miserere servi tui Habib peccatoris, filii Pūhōr. Amen. Anno Martyrum* 784 (A. D. 1068).

F. 194 r° imaginem exhibet S. Theodori equo insidentis, et draconis caput lancea perfodientis (cf. H. Hyvernat, *Album*, pl. XVI). Eadem repetitur f. 210 v°.

IX. — Martyrium sancti Apa Anūb.

Cod. Vatic. Copt. 66, f. 233-268 v° (= XXIV = Mus. Borg. Copt. 113 [J. VII, 8]).

Post folium 241 deest folium unum : de hac lacuna videas textum, p. 76, n. 1.

[1] *Cinque manoscritti copti della Biblioteca Nazionale di Torino*, Torino, 1894, p. 98-105.

Excerpta ediderunt G. Zoega, *Catal.*, p. 30-32, et A. Giorgi, *De miraculis S. Coluthi*, p. lv-lxiii, lxvii-viii, lxx-xxii, etc.

Cf. synaxarium arabicum, ad diem xxiv^am mensis **abib**.

X. — Martyrium sancti Apa Apoli.

Cod. Vatic. Copt. 61, f. 223-227.

Narratio est initio mutila. Inter f. 226 et 227 reperitur folium, inscite a bibliopega transpositum, ad vitam S. Simeonis Mesopotamiensis pertinens.

Cf. synaxarium arabicum ad diem i^am mensis **misra**.

Auctor narrationis dicitur quidam Sergius, S. Apa Apoli famulus, cum Ischyrone de Pūasti (f. 226 v°).

Recensionem aethiopicam edidit Pereira (*Op. supra cit.*, p. 73 et seq.).

I

Martyrium S. martyris Christi Apa Lacaronis et eorum omnium qui consummati sunt cum eo, qui agonem suum atque certamen gloriosum absolvit die xiv^a mensis Paopi, in pace Dei. Amen. *p. 1.

Factum est autem anno xviii° Diocletiani, impii regis, cum esset Arianus Antinoū praeses, lusorium[1] suum *navigium* conscendens, navigavit ad austrum, *ac* ad portum Siōūt appulit. Et conscendens *iumentum* adscendit in civitatem christianos inquirens, ut idola impura colerent. Praeses autem sedit in theatro, *et* praecepit coram se adstantibus ut sisterent ei omnes christianos. Cum autem eos adduxissent, ait illis praeses : «Sacrificabitisne diis regis, an non?» Omnes una voce responderunt, dicentes : «Non sacrificabimus impuris diis istis mortuis, et abominandis. At nos christiani sumus, *fatemur* aperte. Est nobis Deus noster in caelo, ipse auxiliabitur nobis». Tum vero iussit turbam capite plecti ore gladii. Martyrium suum consummarunt, *ac* sursum ad caelos in gloria evolarunt.

Et post haec accessit praepositus[2] ad praesidem, *et* ait ei : «Domine mi praeses, adest hic miles; deos non colit, sed eis exprobat quod non sint dii, neque mandato tuo obtemperat, dicens: 'Ego *christianus sum'». Praeses autem iratus est, *et* iussit illum coram se sisti. Statim praepositus adduxit illum ad eum. Cum autem adduxisset illum coram praeside, *hic* dixit ei : «Quodnam est nomen tuum?» Respondit sanctus *et* dixit ei : «Si quaeris nomen, quod parentes mei imposuerunt mihi, Lacaron est nomen meum secundum carnem; nomen vero meum, quo conversor[3], est *in Christo Iesu vocatus*[4]». Ait ei praeses : «Quot anni tibi sunt?» Respondit A. Lacaron *et* ait ei : «In xiv annis positus[5] sum hodie». Ait ei praeses : «Quaenam est ars tua?» Respondit beatus, *et* dixit : «Ego miles sum, positus sub rege qui deficit. Modo autem miles ero sub rege, qui non deficit, regum rege, et dominorum Domino, I. Christo». Ait ei praeses : «Cur militiam tuam deseris? Modo vero indica mihi, undenam es tu?» Respondit S. Apa Lacaron, *et* dixit ei : «Si vis veri- *p. 2.

[1] λεζωριον, *sic.* — [2] προπεσιτος, *sic!* — [3] πολιτευεσθαι; hoc est : *vivo, vitae ratione utor, vitae rationem instituo.* Cf. *Phil.*, 1, 27. — [4] χριστοκλητος (?); cf. I *Cor.*, 1, 2. — [5] Ita ad litteram. Alii vero videant utrum de xiv annis completis, nec ne intelligendum sit.

tatem scire, scilicet undenam ego sim, ego sum Tḡeliensis, in legione[1] Siōūt militans[2]. Propterea volo esse miles regis caelestium ac terrestrium, Domini mei I. Christi, omnium saeculorum[3] regis. Et discedo e militia *pristina* mea, quae dissolvetur et peribit. Nunc autem ego christianus sum, *fateor* aperte, adnumeratus Domino caeli, Domino meo I. Christo ».

Respondit illi praeses : « Sacrifica diis, ut dimittam te, eo magis quod[4] tu miles sis; et adversatus es regibus, et confessus : 'Ego christianus sum'. Sed volumus ut *tui ipsius miserearis, ita ut sacrifices diis, *et* valde honorificeris ». Respondit Apa Lacaron, *et* ait praesidi : « Ego oro ut placeam regum omnium regi, ut immortalitatis coronam ab eo accipiam. Ne putes, o praeses, me verbis tuis dolosis deceptum iri. Te, ac verba tua inania despicio propter Domini mei I. Christi confessionem ».

Respondit praeses, *et* ait militibus : « Pronum deiicite eum, nervis vitulinis caedite, et dicite illi : 'Obtempera dominorum nostrorum regum iusso' ». Respondit S. Apa Lacarōn cum lenitate, dicens : « Praeceptum meum est ut obtemperem iussis magni regis veri, Domini mei I. Christi, qui salvat omnem sperantem in eum ». Praeses autem iussit illum caedi, donec sanguis eius super terram ceciderit, dicens : « Sacrifica, noli male mori manibus meis ». Respondit S. Apa Lacaron, *et* ait praesidi : « O fili iniquitatis, est nobis Deus auxiliator noster, qui potest auxiliari nobis, et salvabit nos de manibus tuis; vosque ac reges quoque impios vestros perdet ». Iussit eum equuleo[5] suspendi, *et* excruciari, donec viscera eius deciderunt in terram, ac sanguis eius totum illius corpus madefecit. Iustus autem A. Lacaron fortiter huiuscemodi pertulit cruciatus. Postea iussit praeses eum in *carcerem coniici, quoadusque deliberaret quomodo excruciaret eum, nam pulcra erat specie.

Ea autem nocte apparuit illi Dominus, *et* ait : « Fortis esto, Lacaron, quia ego sum Dominus I. Christus. Viriliter age, et confortare, ego tecum sum in omnibus afflictionibus tuis, quas suscepturus es. Iuro *tibi* per memetipsum, festum ages cum beatis meis in caelesti Ierusalem, et nomen tuum super omnem terram glorificabitur, ac martyrium tuum toto orbe celebrabitur. Viriliter age, et confor-

[1] *νουμερον*. — [2] Ad litteram : *accinctus*, cingulo nempe quo milites initiabantur. — [3] *αιων*. — [4] Sensus videretur poscere « quamquam ». — [5] *ερμητταριον*.

tare ». Itaque amplexatus eum est Salvator, dedit ei pacem, sursum ad caelos in gloria evolavit cum angelis suis beatis. Beatus vero Apa Lacaron totam noctem vigilavit, donec lux orta est, fiduciam nactus per alacritatem, quam Dominus ei largitus erat.

Mane autem facto, iussit Arianus praeses sterni sibi tribunal[1], ut S. Apa Lacaron ad se adduceretur, *et* audiret eum. Cum vero sanctus eductus fuisset ut ad tribunal duceretur, ambulabat psallens, *ac* dicens : « Deus, respice ad auxilium meum et in nomine tuo salvum me fac[2] ». Iussit praeses sanctum in lecto ferreo devinci, et forcipibus ferreis aperiri os eius, ut aversi ac molares dentes eius, unus post alium, evellerentur, et plumbum fervens ori atque corpori eius infunderetur. Postea iussit eum a lecto ferreo solvi, equuleo suspendi, *et* excruciari. *Martyr *autem* beatus clamavit, dicens : « Domine mi, I. Christe, libera me ab omnibus istis cruciatibus duris ». Et *statim praeses* iussit afferri bovem aeneum, et corpus illius longis clavis, ac subtilibus acubus[3] intus ei suffigi. Cum autem ita factum esset, non sensit omnino. Et iussit bovem aeneum agi per machinas[4] ei affixas, ut omnia membra illius dissolverentur, *et* tamquam pulvis terrae fierent. Beatus vero Apa Lacaron fortiter huiuscemodi perferebat cruciatus. Post haec autem iussit praeses eum in carcerem coniici, et compedibus[5] ferreis constringi.

Fama illius totam civitatem impleverat, eum scilicet esse hominem Dei, quocum erat Dominus. Erat autem mulier quaedam in civitate, cuius filius arabat in agro cum suis iumentis. Ceciditque unum ex eis, *ac* statim mortuum est. Cum autem illa audisset de S. Apa Lacarone, surrexit, abiit ad carcerem, eum deprecata est, dicens : « Deprecor te, Christi martyr, ut auxilieris mihi; nam iuvenis filius meus arabat in agro hodie cum iumentis suis; unus boum cecidit *et* mortuus est ». Beatus autem Apa Lacaron, cum vidisset illius humilitatem ac fervorem, ait ei : « Accipe hunc baculum meum, pone eum super corpus bovis, *et* dicas ita : 'In nomine I. Christi filii Dei vivi', pro cuius nomine sancto cruciatus suscepi, 'surge, *et* sta' ». Mulier vero accepit baculum, posuit eum super caput bovis, dicens : « In nomine *I. Christi, S. Apa Lacaronis Dei, surge, *et* sta ». Illico autem surrexit, stetitque vivus. Turba vero universa, cum vidisset quod factum est, glorificavit Deum, et S. Apa Lacaronem.

[1] *βημα*. — [2] *Ps.* LXIX, 2; LIII, 3. — [3] *βερον, sic*. — [4] *μαγγανον*. — [5] *πεδες, sic*.

Et ecce alius quidam cum S. Apa Lacarone inclusus, super quem erat daemon, adoravit illum, dicens : «Si vis, potes sanare me». Respondit beatus, *et* dixit ei : «Credis Deum meum posse sanare te?» Ait vir daemoniacus[1] : «Utique ego credo eum posse». Surrexit beatus, *et* oravit, dicens : «Domine mi, I. Christe, Deus meus fiat huic viro iuxta fidem suam». Et sanatus est vir ex illa hora. Et omnes qui inclusi erant carcere, cum vidissent quod factum est, clamaverunt, dicentes : «Unus est Deus S. Apa Lacaronis, non alius praeter eum est, qui audit omnes sursum ad eum clamantes in toto corde suo».

Et ecce alius archon, inclusus carcere ob publicos census[2] quos debebat, cum vidisset quod factum est, surrexit, osculatus est pedes S. Apa Lacaronis, rogavit eum dicens : «Rogo te, famule Christi, ut des mihi sanctum christianorum baptisma». Beatus autem Apa Lacaron rectam eius fidem cernens, digito suo dextero signavit terram. Facta est aqua decurrens, et baptizavit eum in nomine Patris et Filii, et Sp. sancti.

* p. 7.

* Alia insuper mulier, *carcere* inclusa, habebat daemonem. Deiecit eam daemon, *et* clamavit dicens : «Rogo te, S. Apa Lacaron, ne me crucies, sponte exibo ab ea. Ego autem cynocephalus sum in forma mea : ecce quidem XIV annis sum in hac muliere, quae est mihi mansio *mea*; sed exibo nunc ab ea». Respondit S. Apa Lacaron, ait illis qui *carcere* erant inclusi : «Surgamus, et oremus». Surrexit S. Apa Lacaron, extendit manus suas, oravit ita dicens : «Domine mi, I. Christe, audi orationem meam, suscipe eam a me; audi lacrymas meas; unusquisque sciat te Deum esse, qui exaltas humiles, et auxiliatorem eorum, quibus non est auxiliator. Qui expandisti caelum tuum beatum, firmasti illud, et ornasti illud ornamento stellarum; qui appendisti montes in pondere, et flumina in statera[3]; qui apparuisti in sinu Mariae Virginis immaculatae ut universum salvares hominum genus; qui te manifestasti Apostolis tuis beatis, ut praedicarent nomen tuum benedictum, ut benedicaris, ac magna bonitas tua beata super universum mundum splendens glorificetur. Gloria tibi, Domine mi, I. Christe, usque in saeculum saeculorum omnium. Amen». Absoluto «Amen», omnes ei responderunt : «Amen». Statimque *daemon* deiecit mulierem, *et* instar flammae ignis exivit ab ea. Omnes autem homines, qui in carcere positi

[1] δαιμων. — [2] δημοσιον. — [3] Is., XL, 28.

erant, clamarunt, dicentes : «Unus est Deus S. Apa Lacaronis, non alius praeter eum est».

* p. 8.

* Post haec rursum ecce vir quidam, cuius brachium abscissum erat, abiit ad S. Apa Lacaronem, rogavit eum dicens : «Sana me, domine, quia patior». Beatus autem digitum suum tetendit, signavit illum dicens : «Mitte manum[1] tuam in iuncturam *cubiti* tui, et in nomine Christi sanaberis». Cumque brachium suum in iuncturam suam misisset, eduxit illud recte se habens, alterius instar. Turba vero, quae *carcere* erat inclusa, cum vidisset quod factum est, omnes clamarunt dicentes : «Non est Deus in caelo, neque super terram, praeter I. Christum, Apa Lacaronis Deum».

Arianus autem praeses cum audisset virtutes ac prodigia, quae S. Apa Lacaron patrabat, iussit eum ad se super tribunal adduci. Ait illi praeses : «Adlaboravi ut parcerem tibi». Respondit sanctus *et* dixit ei : «Noli amplius parcere mihi». Loquente autem cum illo, facies eius solis instar splendebat. Ait ad eum praeses : «Sacrifica, noli male mori, o Lacaron». Respondit beatus, *et* dixit ei : «Heri quidem mihi parcebas, hodie vero ne parcas mihi amplius. Ego autem paratus sum pro Domino meo I. Christo mori, *et* corpus meum in sacrificium Deo offerre; scriptum est enim : 'Nolite timere eos qui corpus vestrum occisuri sunt, animam autem vestram non possunt occidere[2]'». Iussit praeses eum equuleo suspendi et excruciari, donec viscera eius de ventre eius egrederentur. Beatus vero oculos suos sursum ad caelum levavit, dicens : * «Audi me, Domine mi, I. Christe, mitte mihi magnum archangelum tuum beatum Michaelem ut auxilietur mihi in hac hora necessitatis».

* p. 9.

Statim autem ecce Michael venit de caelo, viscera iusti in ventrem eius collegit iterum, eumque ab equuleo deposuit, nec ullum vulnus in corpore eius, et ulla omnino corruptio in eo erat. Cum carnifices[3] vidissent angelum, qui viscera eius in ventrem eius collegerat, crediderunt in Deum. Statim cingula, quibus praecincti erant, solverunt, ante praesidem deposuerunt ea, *et* clamarunt, dicentes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte, Deo S. Apa Lacaronis adnumerati sumus». Tunc Arianus praeses iratus est, *et* ait eis : «Quidnam vidistis?» Responderunt, *et* dixerunt ei : «Quod vidimus non possumus indicare tibi; scriptum est enim : 'Ne ponatis margaritas vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis,

[1] *Sic.* — [2] MATTH., X, 28. — [3] κεστωναριος.

et convertantur, *ac* discerpant vos[1]». Respondit Arianus, *et* ait illis : « O miseri, nescitis corpus vestrum in manibus meis esse?» Responderunt carnifices, *et* dixerunt ei : «Quod tibi placet fac nobis; cruciatibus tuis haud vexari possumus, cum nobiscum sit Deus noster, qui auxiliatur nobis». Arianus autem praeses furore iratus est, *et* iussit excavari fossam, *ac* igne repleri. Illico beati sponte prosilierunt in ignem. Ita *martyrium suum nobiliter consummarunt, coronam incorruptibilem acceperunt, *ac* sursum ad caelos in gloria evolarunt.

Adsessor[2] vero ait ad praesidem : «Domine mi, si magum hunc Lacaronem in hac civitate relinques, omnes, qui in hac civitate sunt, credent in eum. Ecce prodigia multa per hoc nomen Iesu operatus est, cuius causa reges toto orbi irati sunt; paremus ei cruciatus decies millies peiores istis». Beatus autem, in cuius ore gratia Dei lucebat, psallebat ita dicens : «Deus in laudem meam ne tacueris[3], quia ora iniquorum super me gloriata sunt». Cum vero dixisset : «Amen», dormivit et soporatus est.

Media autem nocte surrexit B. Apa Lacaron, *et* oravit ita dicens : «Domine, si aperueris labia mea, os meum dicet laudem tuam[4]». Et iterum : «In media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiae tuae[5]». Cum autem orationem absolvisset B. Apa Lacaron, diabolus speciem angeli Dei assumpsit, abiit ad sanctum, *et* ait : «Multiplicasti preces tuas coram Deo. Ipse misit me tibi confirmare te, ut cum praeses cras audierit te, interrogans te de quibusdam, respondeas ei absque indignatione cordis tui, et lucraberis Deum caeli». Beatus vero Apa Lacaron agnovit diabolum esse, *et* ait ei : «Discede a me, *Satana, iniquitatis minister; non est tibi pars cum famulis Christi, filii Dei viventis». Diabolus, audito Christi nomine, instar flammae ignis factus est, et discessit ab illo. Beatus autem Apa Lacaron ait in corde suo : «Vigilemus, *et* oremus, ne inimicus diabolus decipiat nos».

Praeses, cum pro tribunali[6] sedisset, iussit adduci ad se B. Apa Lacaronem. Cum autem adductus fuisset, ait ei praeses : «Nolo ut instar mei sacrifices, at volo ut paullulum incensi tantummodo super aram offeras; ego dimittam te, ut effugias cruciatus». Beatus autem dixit praesidi : «Vis me seducere istis verbis tuis blanditiae,

[1] Matth., vii, 6. — [2] *συγκαθεδρος*. — [3] *Ps.* cviii, 2. — [4] *Ps.* l, 17. — [5] *Ps.* cxviii, 62. — [6] *βημα*.

quae Deum et angelos eius beatos ad iracundiam provocant». Tum praeses iussit afferri subsellium[1] *ac* super illud poni B. Apa Lacaronem, et longos clavos afferri, *et* corpori sancti infigi. Iussit alterum lateri eius dextero infigi donec e corpore eius egressus est, ita ut subsellio infixus fuerit, et alterum lateri eius sinistro, et alterum cerebro eius donec egressus est in virilibus[2] eius, *atque ita sanctus* subsellio confixus est. Ait praeses ad eum : «Lacaron, veniat Deus tuus, in quem credis, *ac* liberet te de manibus meis, ut virtutem illius videam».

Tunc ecce angelus Domini de caelo venit, abstulit clavos e corpore *beati, *et* eos corpori praesidis infixit. Tum praeses clamavit, dicens : «Lacaron, modo cognovi Deum tuum, quem colis, Deum potentem esse. Si me sanaverit, credam in eum». Respondit B. Apa Lacaron, *et* ait illi : «Ego scio te non crediturum; verumtamen propter multitudinem hanc hic adstantem orabo modo Dominum meum I. Christum, pro cuius nomine sancto hos cruciatus perfero, ut tibi etiam hac vice sanitatem tribuat». Et statim B. Apa Lacaron manum suam super totum corpus eius duxit, *et* ait : «Domine mi I. Christe, quem colo, ostende virtutem tuam, ut universa multitudo haec sciat te Deum esse, nec alium esse praeter te, *et* glorificent nomen sanctum tuum». Illico clavi exilierunt e corpore praesidis instar aquae, quando super terram cadit. Praeses clamavit, dicens : «Non est deus ut Apollo et Artemis, per quos stat universus orbis; nam per eos salus apprehendit me». Et respondit S. Apa Lacaron *et* ait illi : «Adhuc in manus meas iterum incides».

Iratus est praeses, *et* dixit carnificibus : «Afferte mihi instrumenta supplicii[3] multa, ponite illa coram eo, ut excruciem eum illis, donec videam num Deus eius liberare eum possit de manibus meis». Cum autem allata fuissent instrumenta supplicii coram beato, tunc crudeliter excruciarunt eum, et neque unus eorum cruciatuum corpus eius tetigit. *Carnifices[4] autem non desierunt excruciantes eum a mane usque vespere, et sanctus *nil* omnino persensit. Praeses vero iratus est valde, surrexit, arripuit instrumentum[5] de manu unius carnificum[6] ut caput B. Apa Lacaronis percuteret. Illico instrumentum, quod erat in manu eius, elapsum est ab eo, cecidit super caput eius, et vulneratum est caput eius

[1] *συνψελιον* — [2] *αναγκαιον*. — [3] *βασανισ7ηριον*. — [4] *δημιος*. — [5] *σκευος*. — [6] *κεσ7ωναριος*.

illo. Beatus autem A. Lacaron risit, *et* ait: «Equidem non mentitur psalmus Davidis, dicens: 'Qui impugnabant me, ipsi humiliati sunt et ceciderunt'; et: 'Gladii eorum consumant eos et sagittae eorum confringantur[1]'».

Respondit praeses, et ait: «Per Romanorum potentiam, et Apollinem deum magnum, Lacaron magice operatur!» Iussit praeses rotam ligneam afferri sibi, *et* ait carnificibus: «Magum hunc subter(?) eam coniicite, dissecate illum medium». Cum autem beatus subter(?) rotam coniectus fuisset, et illa acta esset super eum, passus est valde, nam corpus eius coeperat ab invicem dividi[2]. Tum beatus martyr oculos suos sursum ad caelum levavit, *et* oravit ita dicens: «Exaudi orationem meam, ne sileas mihi, Domine, quia ego advena sum et peregrinus totus sicut omnes patres mei[3]. *p. 14. Modo igitur ne recedas a me, Domine Deus virtutum, ne *sinas me mori, donec impium hunc confundam. Domine Deus virtutum, da mihi modum huius scelesti praesidis cruciatus perferendi pro nomine sancto tuo, ut inveniam fiduciam[4] coram te. Domine Deus universi, misericors et miserator, annumera me cum ovibus gregis tui, et da mihi, Domine, virtutem per virtutes[5] tuas lucidas».

Dum haec diceret, ecce Dominus noster statim apparuit ei, *et* ait ei: «Viriliter age, beate martyr, Patri meo bono dilecte, veni ad me ut ostendam tibi coronam tuam, *ac* postea ad tribunal[6] revertaris, pro nomine meo certeris, *et* impium hunc praesidem confundas». Salvator autem sursum ad caelos beatum tulit, ostendit ei caelestia[7] caeli, amplexatus est eum cum omnibus beatis, ostendit ei thronum eius, et coronam atque stolam gloriae. Et omnes beati dixerunt ei una voce: «Viriliter age, beate martyr, Christi regis athleta. Accipies incorruptibilem martyrii coronam, ut bona regni caelorum haereditate capias».

Factum est autem, postquam Dominus omnia haec ostendit ei, in mundum deorsum ad rotam duxit eum; sumpsit membra beati, invicem compegit ea, suscitavitque eum iterum, nec ullum malum omnino in eo erat. Ait ad eum Dominus: «Pax tibi, vade, impium *p. 15. hunc praesidem confunde, *universa turba te spectante». Postea autem surrexit, stetit coram praeside ac turba universa. Ait illi impius praeses: «Ego non novi te, recede a me». Respondit

[1] *Ps.*, XXVI, 2; XXXVI, 15. — [2] Sic ad litt. Cf. KABIS, *Auctarium*. — [3] *Ps.* XXXVIII, 13. — [4] ϖαρρησια. — [5] αρετη — [6] βημα. — [7] επωρανιον.

beatus, *et* dixit ei: «Quare, fili diaboli, ais: 'Non novi te'? Nonne ego sum quem secari iussisti? Et venit ad me Dominus meus Christus, sumpsit membra mea, compegit ea invicem, suscitavit me, misit me ad te, ut te ac reges tuos impios confundam».

Tunc universa turba, quae adstabat, clamavit dicens: «Unus est Deus S. Apa Lacaronis, non alius praeter eum est, cuius nomen manet in saeculum saeculorum». Praeses autem ait ad turbam adstantem: «Nolite conturbari, omnia haec in magia facta sunt; secus postulemus ab eo signa quaedam; si haec facere potuerit tunc et nos in Deum eius credemus». Respondit S. Apa Lacaron, *et* ait ad praesidem: «Postula a me quod vis». Dixit ei praeses: «Volo ut hoc sandalium, quod est in pedibus meis, iumentum evadat iterum, ut in Deum tuum credam». Tum vero sanctus extendit manus suas, oravit dicens: «Deus, qui creasti caelum et terram et omnia quae in eis sunt; qui misisti unigenitum filium tuum in mundum, qui corpus et sanguinem suum nobis dedit, ut nos a peccatis nostris redimeret; suscipe hodie deprecationem meam, ostende virtutem tuam coram hoc tyranno atque *universa turba hac, quae circum *p. 16. me est, ut glorificetur nomen tuum, *et* turba haec agnoscat non esse Deum, praeter Dominum Deum Omnipotentem[1], et unigenitum eius filium, ac Sp. sanctum usque in saeculum saeculi. Amen».

Cum haec dixisset B. Apa Lacaron, calceamentum, quod erat in pede praesidis, factus est sicut vitulus coram praeside et universa turba. Tum praeses ad universam turbam ait: «Nonne dixi vobis Lacaronem magiae opera agere?» Statimque iussit occidi vitulum, et carnes eius canibus proiici. Iussit autem praeses medicum ad se adduci, *ac* linguam B. Apa Lacaronis amputari. Cum autem venisset medicus, ait illi praeses: «Accipe hunc adolescentem, amputa linguam eius, quia multiloquium eius ferre non possum».

Cum beato lingua amputata fuisset, ait *ille* ad praesidem: «Amputasti linguam meam, ut loqui amplius non possem. Nunc vero linguam spiritalem sumpsi mihi, adversus quam tibi ac patri tuo diabolo non est virtus». Respondit praeses, *et* ait ad S. Apa Lacaronem: «Audias me, degusta carnes quae sunt super aras, ac de vino sacrificiorum bibe. Ego dimittam te ut abeas, *et* cruciatus effugias». B. *Apa Lacaron dixit praesidi: «Absit mihi ut faciam hoc unquam! *p. 17. Scriptum est enim: 'Non potestis sumere de mensa Domini et de

[1] ϖαντοκρατωρ.

mensa daemoniorum[1]'». Praeses autem furore iratus est, iussit aperiri os eius, *et* sumi carnes ut in os eius proiicerentur.

Cum haec iam fecissent ei, ait ei praeses : «Lacaron, cessavit hodie fiducia[2] tua apud Deum tuum!» Beatus vero respondit ei : «Nondum completa est laetitia tua, o inimice Dei et socie daemoniorum, tu qui odis misericordias Dei, qui *a* conversationibus beatorum omnium peregrinus es». Tum iratus est praeses, misit eum in carcerem. Mane autem facto, iussit B. Apa Lacaronem e carcere educi, ut duceretur ad se super tribunal. Ait B. Apa Lacaron in corde suo : «Quidnam iterum faciet mihi impius hic?»

Cum autem ad tribunal pervenisset, dixit illi praeses : «Sacrifica, Lacaron, sacrifica diis, noli male mori per manus meas». Respondit beatus mansueta voce, *et* dixit ei : «Non sacrificabo; quod tibi placet fac mihi; mecum est Deus meus, qui auxiliatur mihi, instar propugnaculi adamantini animam meam et corpus meum simul circumdantis». Respondit praeses *et* ait illi : «O Lacaron, cogis me *ad excruciandum te ulterius ob verba tua acuta. Modo igitur sacrifica ut dimittam te». Beatus vero non locutus est cum eo. Ait illi praeses : «Si vis ut paucos dies dem tibi quoadusque recogites tecum, indica mihi». Beatus autem respondit ei : «Jam recogitavi mecum antequam huc ad te venirem; igitur quod tibi placet fac mihi. Corpus quidem meum in tuis manibus est, anima vero mea ac spiritus meus Domini mei I. Christi sunt».

*p. 18.

Praeses, cum haec verba audisset a S. Apa Lacarone, iussit eum capite deorsum verso suspendi columnae tribus diebus. Milites autem fecerunt ei iuxta mandatum praesidis. Beatus vero Apa Lacaron columnae suspensus oravit ita dicens : «Domine mi I. Christe, solus primus martyr, qui aeonibus[3] in virtute tua divina dominaris, mitte mihi angelum tuum beatum ut auxilietur mihi». Cum haec diceret B. Apa Lacaron, ecce angelus Domini stetit supra eum, solvit eum de columna ac deposuit, et statuit eum absque ullo malo. Ait ei angelus : «Viriliter age, et esto fortis, o Christi athleta; appropinquavit enim tibi finis agonis tui». Cum autem haec dixisset ei angelus Domini, amplexatus est eum, *ac* sursum ad caelos evolavit, sancto illum respiciente.

Tertia completa die, praecepit *praeses* dicens : «Ite, videte

[1] Italice ad litteram : «e di quella dei demonii». I *Cor.*, x, 21. — [2] παρρησια. — [3] αιων.

utrum infelix iste mortuus fuerit, an non». Milites vero, qui *beatum columnae suspenderant, abierunt, invenerunt sanctum sub columna stantem, mirati sunt valde, clamarunt dicentes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte; Deo S. Apa Lacaronis adnumerati sumus». Et solverunt cingula sua, quibus accincti erant, *ac* in faciem praesidis proiecerunt ea. Ait illis praeses : «Quidnam et vos vidistis, quod proiecistis cingula vestra, et Deum Lacaronis sequuti estis?» Dixerunt ei milites : «Quod vidimus nequaquam ostendemus tibi, quia tu extraneus nobis es». Respondit praeses, *et* ait illis : «O capita perversa, ego bene loquor vobis, vos autem male mihi loquimini. Equidem omnino nescio quomodo sententiam in vos feram, quia baptisma non recepistis».

*p. 19.

Beatus vero Apa Lacaron, athleta Christi, cum audisset haec a praeside, ait militibus : «Confortamini, quoniam Dominus meus I. Christus nobiscum est». Et tunc oravit ita dicens : «Domine mi, respice in me ac fratres meos, qui modo mecum stant, ut nomen tuum glorificetur». Statim autem B. Apa Lacaron terram manu sua dextera signavit, *et* illico fons aquae instar nivis candidus scaturivit et baptizavit eos in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti. Milites autem dixerunt praesidi : «Ecce Deus dignos nos sancto baptismate suo fecit, oculis tuis vidisti : da sententiam nobis, ut recedamus a te». Iratus est *praeses *et* dixit : «Iubeo caput eorum auferri gladio». Statim autem abstulerunt caput eorum, die x[a] mensis thōūt; agonem suum consummarunt, immarcescibilem coronam in caelis acceperunt.

*p. 20.

Post haec omnia vero ait Arianus praeses ad S. Apa Lacaronem : «Sacrifica diis, noli male mori manibus meis, nam tu *modo* sapiens es». Dixit ei sanctus : «Ego omni tempore sapiens sum quia quaero regnum Domini mei I. Christi, ad quem modo ibo, ut incorruptibilem accipiam coronam». His auditis, praeses frenduit dentibus in eum, *et* ait ei : «En, cum non sis mihi obtemperaturus ut facias quod reges praeceperunt, iubeo caput tuum gladio auferri».

Beatus vero cum sententiam suam audisset, gratias Deo egit[1]. Tum camum posuerunt ori eius, duxerunt eum ad locum ubi consummandus erat. Ipse autem ait carnificibus : «Ferte me aliquantulum ut precem Deo offeram». Et multitudo magna valde congregata est ad eum. Beatus vero Apa Lacaron extendit manus suas, oravit ita

[1] Ad litter. : «factus est gratias Deo agens».

dicens : «Domine mi, I. Christe, sta mecum, da mihi virtutem donec agonem meum absolvam».

Statim autem apparuit ei Salvator Iesus, nec ullus, praeter unum sanctum, eum agnovit. Ait beatus ad Salvatorem : «Domine mi, et Deus meus, ecce audisti me dum praecarer te. Modo 5 *p. 21. *igitur, Domine mi, rogo te ut perficias mihi quod postulabo a te; nam tu misericors et miserator es». Salvator autem dixit ei : «Quod vis perficiam tibi». Respondit B. Apa Lacaron, *et* ait ei : «Domine mi, rogo te ne sinas corpus meum in terra corrumpi, sed sanum serva illud, ut aedificetur martyrion super illud. Et 10 qui martyrion meum aedificaverint, mercedem laborum suorum repende eis in caelesti Ierusalem, et adnumera eos beatis tuis. Si quis votum voverit ad topos meum et perficiet illud, benedic ei et universae domui eius. Domine mi, ne sinas procellam[1] ullam nec feras in topos meum ingredi. Immunditia adulterii, et impurus 15 spiritus non appropinquent ad locum, ubi corpus meum ponetur. Si quis infirmitate quavis laborans, vel daemone obsessus ad topos meum venerit et corpus meum adoraverit, sanitatem largiaris eis. Qui scripserint martyrium meum in memoriale sibi scinde chirographum peccatorum eorum, a laqueis malis diaboli libera eos, et 20 fac benedictionem tuam, et misericordiam tuam, et pacem tuam perdurare in omnibus habitaculis eorum. Et serva eos *ac* scribe nomina eorum in libro vitae. Benedic omni, qui martyrium meum audierit. Et qui eleemosynam largientur in die commemorationis meae, da eis mercedem eorum, eorumque perfice peti- 25 tionem, *et* ab omni malo libera eos. Qui laborem susceperint ut *p. 22. veniant ad topos meum, *ac* corpus meum adorent, effunde *super eos misericordiam tuam, benedic eis, dimitte eis peccata eorum. Mihi quoque, Domine mi, da quietem et requiem pro misericordia tua magna, mihi, inquam, misero, Deus amator hominum *et* remu- 30 nerator omnium qui credunt in te».

Cum verba haec absolvisset B. Apa Lacaron, ait ei Salvator : «Viriliter age, quoniam omnes labores tui cessarunt. Iuro tibi per memetipsum, perficiam omnia quae locutus es, *et* faciam ea quorum recordatus non es. Ponam angelos meos vigilantes super corpus 35 tuum die ac nocte, suscipientes preces[2] eorum qui ad topos tuum venient, easque mihi adducentes, unicuique pro meritis suis bene-

[1] *Sic.* — [2] Ad litter : «το memento.»

dicam». Cum haec dixisset ei Salvator, amplexatus est eum, ac sursum ad caelos in gloria evolavit.

Beatus vero conversus est ad carnifices, *et* ait eis : «Venite, perficite ministerium vestrum». Tunc venerunt carnifices. Beatus au- 5 tem A. Lacarōn collum suum tetendit : caput eius beatum abstulerunt. Bonam confessionem suam absolvit die XIV[a] mensis paōpi. Facta est lux magna in loco illo. Totus locus suavem odorem effudit ob angelorum multitudinem, qui venerunt quaerere animam B. Apa Lacaronis. Salvator autem animam eius ad caelos secum tulit 10 cum angelis suis beatis, qui sequebantur eum. Omnium beatorum chorus obviam ivit ei, amplexatus est eum, donec tulit eum in civitatem Domini, Dei *ac Salvatoris nostri I. Christi, per quem *p. 23. gloria decet ipsum ac Patrem suum bonum, et Sp. sanctum vivificantem, usque in saeculum saeculorum omnium. Amen.

15 Domine miserere pauperis qui scripsit, Chael, filii Matoi. Amen.

II

*p. 24.

(Martyrium S. Anatolii Persae.)

. . . .
. . . .
. . . .

. . . . pueritia, nec steti in errore parentum meorum, sed cum essem octo annos natus agnovi te, in rectitudine quaerens te. Et nunc, Domine, ne confundas me, neque recedas a me, sed praebe mihi virtutem tuam ut cruciatus huius impii constanter perferam. Ne sinas eos dicere : 'Ubi est Deus eius?' sed sciant te esse in caelo desuper, et in caelis *inferioribus*, et in terra; nam tua est gloria in æternum».

Adhuc eo ita orante, ecce archangelus Michael de caelis descendit, vincula, quibus erat adstrictus, confregit, sanavitque corpus eius ut antea *erat*, et dixit *ei* : «Confortare, Christi famule, ne timeas, quoniam *ipse* pugnat pro te».

Sanctus autem iter agens ut regem adiret, vidit mortuum in civitatis foro[1] proiectum, quem nefarii homines interfecerant, cuius*que* vasa abstulerant; ac turbae lugebant eum. Cum vidisset eum martyr doluit, ac consistens oravit ita dicens : «Dominus meus I. Christus, pro cuius nomine beato tormenta haec omnia perfero, te ad vitam revocet». Et illico exiliit sursum in medium, *ac* Dei virtute stetit. Qui igitur circa eum congregati erant *centum viri erant, praeter mulieres et parvulos. Cum autem vidissent magnum hoc prodigium quod factum est, clamarunt simul, dicentes : «Unus est Deus sancti huius, qui haec omnia portenta operatur».

*p. 25.

Rex vero, turbarum clamore audito, perterrefactus est valde, putans civitatem adversus se forte insurrexisse, et quaerebat : «Quisnam est huiuscemodi clamor qui factus est, et quem audio?» Narraverunt ei : «Anatolius Persa mortuum suscitavit, ac turbae circa eum congregatae sunt, Deum glorificantes». Ira autem atque furore repletus est, et ait : «Adducite eum ad me». Cumque coram se adductus fuisset, dixit ei : «Nonne, stulte, desines istarum magiarum quae errare faciunt, quas*que* in civitate ista agis?» Dixit

[1] αγορα.

ei beatus Anatolius : «Non ego sum qui eos errare facio, at tu potius totum mundum a Deo errare facis». Tunc ait ad eum impius : «Per virtutem Apollinis, ego belle excruciabo te, nec statim occidam te, ut vindictam a te sumam». Dixit ei martyr : «Equidem miror stupiditatem tuam cum huiuscemodi inanimata colas».

Tunc iussit beatum super sedem ferream collocari, ignemque sub eo accendi. Ignis autem eum nullo modo cruciavit. Et ait ad impium : «Scias, stulte, me tormenta tua, virtute Christi Dei mei, non metuere». Insuper et hoc ex Ieremia propheta dictum ait dicens : «Sana me, Domine et sanabor, salva me, et salvus ero[1]».

*p. 26.

*Post haec igitur congregati sunt ad regem DCCC homines ex iis qui mortuum per sanctum ad vitam revocatum viderant, una clamantes : «Et nos quidem christiani sumus, ac Deum Anatolii colimus». Tunc impius rex praecepit omnes in ore gladii interimi; et ipsi martyrium suum consummarunt die XXVII^a hathōr, *ac* sursum ad caelos in gloria magna abierunt.

Post haec autem iussit cutem capitis eius ad nervos *colli* usque detrahi, ac super eum acetum cineremque effundi. Et virtute Christi haud sentiebat *cruciatum* sed deprecabatur Deum, dicens : «Domine mi, I. Christe, qui hominem ad similitudinem et imaginem tuam creasti, ossibus et nervis ac pelle eum compingens, exaudi me, mitte mihi archangelum tuum, qui pellem meam loco suo coniungat iterum, ut hic impius sciat non alium, praeter te, Deum esse». Statim igitur, adhuc eo orante, stetit supra eum archangelus Michael, cutemque capitis eius apprehensam loco aptavit suo, et *caput eius* sicut antea[2] factum est. Caeterum aiebat S. Anatolius : «Agnoscas, o impie, et impietatis operarie, te pudore affectum».

Iterum praecepit tyrannus rotam[3] ferream afferi, in cuius medio erant gladii ancipites. Ligaverunt eum manibus pedibusque *ac* in illam proiecerunt eum, donec omnia viscera eius effusa sunt. Impius autem subrisit, dicens : «Ubi est modo *Deus eius? Cur non adiuvat illum? Agnoscit *nunc* supplicia adesse in tribunali[4]!» Illico de caelo venit Michael, et cum tetigisset rotam, *haec* dissoluta est : iterum membra illius loco aptavit suo, eumque integrum statuit, nec ulla corruptio omnino in eo erat. Quinimo hilaris erat velut

*p. 27.

[1] Ier., XVII, 14. — [2] Ad litt. : «modo qui ei (capiti) erat antea». — [3] τροχος. — [4] δικαστηριον.

qui in vino laetantur. Rex illum modo suo[1] integrum videns detraxit purpuram suam, *et* scidit eam, ac manus suas complosit dicens : « Vere me in angustiam coniicit adolescens impius iste, qui magias has coram me ita operatur. Per deorum salutem! hoc nomen, *christianus*, delebo de terra ».

Tum impius iussit pedicis[2] aeneis iustum devinci, *ac* fodi foveam : et in eam proiectus est. Praecepitque sulphur, et ignem, et picem, et sarmenta, et oleum super eum proiici. Et ait rex : « Per Romanorum potentiam! corpus tuum igne absumam, donec videam num Iesus e manibus meis te liberare possit ». *Iusserat etiam rex* ut, cum finem fecissent eum comburendi[3], tollerent cinerem eius *ac* in mare proiicerent. Nobilis vero in igne orabat, dicens : « Exurge, Domine mi, Iesu Christe, iudica causam meam[4], exurge, adiuva me, quoniam tu es auxilium pauperis, et orphani, et egeni et viduarum, et advenarum et peregrinorum. Esto mihi protector in peregrinatione mea, quia alius praeter te non est. Si vero constitueris mihi, Domine mi, ut in igne hoc absolvar, fiat voluntas tua ».

*p. 28. *Dum adhuc beatus oraret, Deus misit ad eum archangelum, *qui* impetum ignis extinxit *ac* sursum eduxit eum, nec ulla corruptio in eo erat. Et dixit ei : « Confortetur et roboretur cor tuum, nam adhuc modicum et agonem absolves tuum ».

Stans autem coram rege, ait ad eum : « Cognoscis me, o impie? ego sum Anatolius Persa, Christi famulus, quem perversa lingua tua blasphemat ». Rex vero finxit se eum non audire, et ait ad milites : « Nefarium hunc percutite, nam gravis est mihi valde, magis quam tyrannus qui adversus regnum meum consurgeret ».

Dum autem milites eum percuterent oculis capti sunt, et huc illucque circumibant, caput suum muro impingentes, clamantes omnes, *ac* dicentes : « Miserere nostri, vir Dei, Anatoli, peccavimus tibi ». Ipse autem dixit eis : « Vivit Dominus meus, I. Christus, non videbitis donec confessi estis I. Christum ipsum esse verum Deum, nec alium praeter eum esse ». Ipsi vero statim clamarunt : « Credimus non alium esse Deum, praeter te, I. Christe, Anatolii Deus, quem nos quidem ignorabamus, atque negavimus in insipientia nostra. Et modo fatemur eum esse Dominum caeli, ac terrae, ex nunc usque in saecula omnia. Amen ».

[1] Id est ut naturaliter erat. — [2] *πεδης*. — [3] Ita ad sensum: nam textus corruptus videtur. — [4] *Ps.* CXVIII, 154.

Et illico aperti sunt oculi eorum; erant numero sex, et aiebant ad regem exprobrantes ei : « O impietatis operarie, *qui fundis sanguinem innocentem super terram, ipse adversum te stabit in die iudicii. Nonne te saturum fecit effusio huius sanguinis innocentis super terram? Propterea misericordia non apprehendet te in aeternum. Caeterum quod tibi placet, et nobis facias cito, quoniam[1] nos sapientes facti sumus, Deum verum ope S. Anatolii, famuli Dei, agnoscentes, qui te ludibrio affecit ». Beatus autem Anatolius confortabat eos dicens : « Viriliter agite, Christi famuli, haec est lucta quae digna est in qua vincatur. Cum bellum adversus regem exurgit, in bellum adducunt vos; alii e vobis interficiuntur, vulnerantur alii, et *tamen* perseveratis propter annonas ut accipiatis eas. Quanto magis *ut accipiatis* annonas magni regis Christi? » (*p. 29.)

Tum et VI milites cingula sua sciderunt, et in faciem regis proiecerunt ea. Ipse autem furore iratus est valde, *ac* iussit omnes in ore gladii interfici. Et illi martyrium suum fortiter consummarunt die VII^a mensis choiac. Et ait rex : « Per deos, deficio animo cum puero isto atque magiis, quas in civitate ista operatur! Iubeo belluis feris eum tradi, ut carnes eius devorent, *atque* e conspectu meo evanescat, ne forte irrideant nos habitatores huius civitatis, et dicant : 'Regem eiusque deos superavit' ».

Responderunt optimates eius : « Optimum est verbum, quod dixisti, Dominus noster rex ». Tunc vocavit *venationi praepositum, et ait ei : « Festina, adduc mihi nonnullas belluas carnivoras, unam de singulo genere, et pessimas adduc eas ». Abiit autem ille et adduxit ursam lactantem, et tigrim, et leonem, et pantheram, pessimos; vinctumque Christi martyrem ad belluarum ferarum pedes proiecerunt. Et universa civitas congregata est ad agonem iusti spectandum. (*p. 30.)

Ursa primum in eum immissa est, et celeriter irruit in eum, ac turba clamabat : « O quanta species pueri istius, quem belluae istae ferae perdent! Utinam sacrificasset, *et* non periret! » Dum autem haec invicem loquuntur, ursa accessit ad eum et adoravit eum, cum eiusque pedum plantas lingua sua lambens. Postea et reliquas, unam post aliam, immiserunt in eum, atque omnes adorabant

[1] In textu est ⲁ̄ⲙⲟⲛ, quae vox in sensu « quoniam » occurrit etiam in Cod. Vatic. Copt. 66, fol. 232 v°.

eum, lingua sua lambentes eum, ita ut turbae, quae spectabant, mirarentur.

Leo vero dorso suo martyrem attollens, duxit eum ad locum in quo rex sedebat, et ait ei leo humana voce : «Mane hic, Domine mi Anatoli, nam et ego sum qui impium hunc corripiam una cum iis omnibus, qui circumdant eum. Etenim nos belluae quidem ferae Deum, qui nos creavit, eiusque famulos agnoscimus; ipsi vero nequaquam agnoscunt eum; sed sine me *ire* ad illos, ut corripiam illos». Tum irruit in regem, excruciavit*que* eum et alios qui cum eo erant.

*p. 31. Cumque in magno facti essent terrore, clamaverunt *ad martyrem, dicentes : «Miserere nostri, Dei famule Anatoli, libera nos ab hac fera bellua, ne rationem colligas nobiscum pro omnibus quae egimus tibi, Christi famule. Per Herculem (?) non sit requies Diocletiano, qui nos a Christo, omnium saeculorum[1] rege[2], seiunxit. Nos autem Dominum nostrum I. Christum, filium Dei vivi, confitemur : solummodo miserere nostri, Dominus noster Anatoli».

Sexcenti autem homines, praeter pueros ac mulieres, sunt qui crediderunt in die illa, et omnes clamabant : «Non est Deus, praeter Deum S. Anatolii». Leo autem multos ex eis vulneraverat. Beatus Anatolius eorum misertus est, aitque ad leonem : «Desine! caeterum tibi testor, o bellua, quae voluntatem Domini fecisti, te quoque quietem in hoc mundo habituram ac requiem».

Vertit autem se ad regem, *et* dixit ei : «Vae tibi! o infelix, nam quod Isaias propheta scripsit adimpletum est super te; scilicet : 'Vacca cognovit herum suum, et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit me[3]'. Ecce bellua agnovit Dominum suum, et fecit iuxta iussum eius : tu vero eum non cognoscis!»

Rex autem cruciabatur ob leonis vulnera, et sanctum hortabatur, dicens : «Miserere mei, domine mi Anatoli, nam scio te omne *p. 32. bonum agere posse». Dixit ei beatus : *«In nomine Domini mei, I. Christi, sanus fias». Statimque rex sanatus est.

Rursus obduratus est corde per diabolum, qui membra[4] sua omnia implet. Homines autem, qui ob leonis vulnera crediderunt in Christum, sunt CLI. Tulit in eos sententiam impius rex, et caput eorum abstulerunt die XXIX[a] mensis choiac, et martyrium suum

[1] *αιων*. — [2] Cf. I *Tim.*, I, 17. — [3] Is., I, 3. — [4] *μελος*.

consummaverunt, *ac* sursum ad caelos in gloria evolarunt, immarcescibilem adepti sunt coronam.

Post haec autem Romanus, magnus stratelates, accessit ad regem, et dixit ei : «Ausculta verbum famuli tui, audias me : comprehendatur hic puer, compede vinciatur, et in tenebricosum locum coniiciatur, panis et aqua non dentur ei, quoadusque moriatur, ne iterum hoc loco eum inveniamus diis atque amplitudinis tuae potentiae adversantem». Respondit Diocletianus : «Optimum verbum locutus es, domine stratelates». Iussitque illum pedicis ferreis manibus ac pedibus devinci, numellam collo eius imponi, et collum super pedes eius inflecti[1], coniici eum in tenebricosum locum, neque panem aut aquam ei dari, quoadusque mortem obiret. Feceruntque ei iuxta regis mandatum.

Beatus Anatolius inclusus rogabat Deum in corde suo, non enim modum expandendi manus inveniebat, dicens : «Tempore *pueri- *p. 33. tiae meae in medio ferarum recumbebam : vidi stolam meam sanguine vituli, et avis, et reptilis, et iumenti tinctam, et auxilium quaesivi Adonai Domini Sabaoth, qui universi dominator est. Factum est autem, dum haec in corde meo recogitarem, ac recumberem, vidi manum meam dexteram in mari apprehendentem draconem apostatam, qui in abysso est. Proieci buccam aquae in faciem eius, quia auxilium Dei mei circumdabat me[2]...

[1] Ad litt. : «infra ad pedes eius», i. e. collum eius et pedes simul freno constrinxerunt. — [2] Reliqua desiderantur.

III

*p. 34. MARTYRIUM S. THEODORI, ORIENTALIS[1] NUNCUPATI, FORTIS I. CHRISTI MARTYRIS, ET SOCIORUM EIUS MARTYRUM, QUOS DOMINUS AD EUMDEM MARTYRII AGONEM INVITAVIT, SCILICET S. LEONTII ARABIS, AC BEATI PANYGIRIDIS E PERSARUM GENTE; QUI CERTAMEN SUUM STRENUE ABSOLVERUNT DIE XII^a TŌBI IN PACE DEI. AMEN.

Veni ad nos hodie, o *historiographe*, enarra nobis commentaria[2] beatorum Christi martyrum, Theodori Orientalis, et Leontii Arabis, ac Panygiridis Persae.

Factum est autem, Romanorum thronus erat absque rege, et regionum eparchae regni negotia dirigebant usque dum complerentur quatuor menses ter ducti[3], hoc est annus. Rursum erant filiae duae regales in palatio, nullo tamen filio mare. Persae autem, cum audissent *hoc*, bellum cum Romanis gesserunt, cupientes auferre ab eis Romaniam totam cum urbe regni, ut eorum imperio[4] dominarentur; quoniam antequam esset rex in Antiochia, Persarum regnum universae Romaniae ac civitatibus austri (*Aegypti superioris*) dominabatur usque ad Aegypti[5] cataractam ab occidente usque orientem, et septentrionem ac mare[6] terraque *universa sub eorum erat potestate, et tributum eis solvitur, quia magnum est regnum. *p. 35.

Insuper persaepe accidebat nonnullas eparchias rebellare eis; propterea Persarum Optimates omnibus, qui sub eorum dominatione erant, mandarunt dicentes: «In omnibus regionibus, quae sub nostra sunt dominatione, plantentur perseae, ut notum sit eos esse sub Persarum potestate; et eorum tributa exigantur, ne iterum rebellent». Propter hoc Romani tributum Persis solvebant usque hodie. Sic denuo contingebat ut *Romani* rebellarent eis (Persis) et *isti* bellum cum illis gererent, volentes Romanorum regionibus dominari ut antea. Ubi autem solvebant eis tributa, quemadmodum illis impositum fuerat, recedebant *Persae* haud bellum agentes. Hic est *agendi* modus, quem statuerant sibi ab initio.

Revertamur autem ad dominationem regni Romanorum in Antio-

[1] Ανατολεος. — [2] υπομνηματα. — [3] τριτοτετραμενον. — [4] κρατος. — [5] ⲭⲏⲙⲓ ordinarie Aegyptus septentrionalis, praecipue regio memphitica. — [6] 'al-Fayūm?

chia, ut videamus regni eius constitutionem (*conditionem? statum?*). Non erat filius mas in ea, sed duae tantum innuptae filiae, quae in flore iuventutis erant. Cum bellum adversus Romanos exortum esset, quamplurimi eorum interfecti sunt. Placuit *igitur* eparchis mittere ad regiones ut conscriberent ubique tyrones, quibus Persarum exercitui resistere valerent, ne *isti* regnum eorum auferrent. Et miserunt augustalem ad regionem Aegypti ut apprehenderet eis nonaginta milia tyronum, decem milia pro singulis civitatibus et earum nomis, corpore validorum, anima fortium, instar leonum rugentium in praedam. Erant *inter eos multi psepho-mantici (?), et magi veneficia facientes (?) in occulto, et necromantici (?), ac magi .... *p. 36.

Caeterum recensuerunt decem milia Ptolemaidis et nomi eius: invenerunt in ea multitudinem tyronum, sanguinariorum, statura procerum, inordinatorum, corpore validorum, fortium in bello. Maxime autem invenerunt adolescentem, nempe Agrippidem, quem Satanas servavit sibi ut magna scelera per eum patraret.

Hic autem pascebat capras, et ipse quoque tamquam tyro conscriptus fuit; neque ullus eum quaerebat, quia absque familia[1] erat. Viderunt autem illum corpore validum, vehementem spiritu: erat adolescens caprarius, et statura pulcher. Gavisus est *augustalis* super eum magis quam super decem milia tyronum. Et cito miserunt eum cum omnibus tyronibus ad Paneudemoniam[2], hoc est Antiochiam, urbem regni Romanorum. Philadelphus, Thebaidis eparcha, cum vidisset Agrippidem illis omnibus praestantem, accepit eum secum tamquam stratorem, postea statuit illum comitem stabuli regni.

Centum post diebus Satanas apparuit ei in stabulo equorum purpura regia indutus, terrore phantastico ornatus, *et* dixit ei: «Agrippides, scisne quisnam ego sim?» Respondit Agrippides: *«Quis es tu, domine mi, in hac magna gloria?» Ait ad eum diabolus: «Ego sum qui feci ut te tyronem conscriberent cum adhuc esses in nomo Psoi pascens capras, et ego sum qui curavi ut eparcha reciperet te in domum suam, ac faceret comitem stabuli: et insuper, si obtemperaveris mihi, dabo tibi Romanorum regnum, ut faciam te regem loco mei, quia ego sum qui cunctis regibus terrae *p. 37.

[1] Ad litt.: «absque homine». Cf. Lexica. Vide tamen inferius ubi dicitur orphanus fuisse. — [2] ⲡⲁⲛⲉⲩⲇⲉⲙⲱⲛⲓⲁ.

do regnum, et illi servi mei sunt. Te autem filium meum faciam, nonne tu quidem orphanus es?» Dixit ei Agrippides : «Quod mihi iubes paratus sum agere». Ait ei : «Primum quidem volo ut adores me». Et statim Agrippides hoc sollicite egit, illico procubuit, adoravit eum». Ait insuper illi Agrippides : «Quis es tu, domine mi?» Dixit ei : «Ego sum magnus Daemoniacus». Cum haec ei dixisset, statim invisibilis ei factus est.

Crastina autem die cum vidisset equos se invicem adscendentes, citharizabat odem organicam thebanam[1]. Maior vero filia regina verbo eius ac cantu attracta est, festinavit, respexit deorsum in stabulum, vidit Agrippidem, et Satanas egit ut desideraret eum. Statim praecepit eunuchis et cubiculariis, hoc est matronis, ut illum ad se in palatium adducerent. Cum ille occurrisset ei, locuta est cum eo ut honorifico connubio iungerentur invicem. Et cum *p. 38. ingressus fuisset *ad eam iuxta morem regum Romanorum, surrexit illa media nocte, induit eum veste regali, et coronam ac sceptrum posuit super eum, collocavit eum super thronum Condeliani patris sui, ac regem fecit.

Cum autem orta esset lux, palatii ianitor aperuit ostium, invenit regem sedentem mutum, quia maiestas regni iniecerat ei timorem, nec loqui poterat. Et regina iussit praeconem clamare : «Multos annos Augusto regi». Post haec praecepit ut dimissio (?) fieret usque mane.

Diabolus autem apparuit illi noctu, *et* ait ei : «Agrippides, fili mi, vidisti quod pater tuus te regem fecit : exequere voluntatem meam in iis quae dicam tibi, et maiora his videbis». Dixit rex : «Quaecumque me iubes paratus sum agere et implere, quoniam ego filius tuus sum». Illico festinavit adorare eum, qui dixit illi : «Iam non vocabitur nomen tuum Agrippides, sed Diocletianus rex erit nomen tuum, quia nomen meum ac tuum unum sunt, ut impugnes ac persequaris Galileorum genus donec eos omnes deleas, quoniam inimici sunt mihi omni tempore : ego ipse exterminabo illos per manus tuas, quia fidem suam ponunt in eo, quem Iudaei interfecerunt in ligno crucifigentes eum; etenim *iste* mecum pugnabat ex quo eram cum eo in caelo».

*p. 39. *Cum autem diluculo rex surrexisset, dixit ei Senatus : «Despota, dominus noster rex, in aeternum vive! ostende nobis nomen tuum».

[1] Sic ad sensum.

Dixit eis rex : «Diocletianus est nomen meum, quo appellavit me pater meus».

Post haec autem ordinavit suas legiones ad bellum adversus Persas, et steterunt super flumen Tanubis[1]. Tertia vero die traiecerunt flumen cum equis suis, et qui cum eis erant arenae maris instar numerosi erant. Postea adversus Persas steterunt, accincti contra eos in praelium. Pater autem eius, Daemoniacus ad dexteram illius stabat, et loquebatur cum eo, dicens : «Diocletiane, fili mi, ecce tradam in manus tuas Nicomedem, Persarum regis filium; verumtamen serva eum, ne occidas, quoadusque scias vera esse verba mea».

Cum facie ad faciem clamorem edidissent in pugna, orientalis[2] quidam sagittarius attentionem suam direxit ad Nicomedem Persarum regis filium, *ac* sagittis eum petiit. Sagitta quaedam percussit cor equi, cui Persarum filius insidebat. Statim obtenebratus est, *et* cecidit. Cum cecidisset, Persarum turba clamorem edidit, *ac* fugit. Adolescens autem orientalis, cuius nomen est Theodorus, rapuit Nicomedem in conturbatione quae huic evenerat, *et* statuit eum vivum coram rege Diocletiano.

Rex autem Diocletianus cum accepisset *iuvenem gavisus est super *p. 40. eum, et firmiter custodiebat eum. Dedit illum depositum archiepiscopo Antiochiae, usque in diem qua requisiturus eum esset de manu eius. Statim misit, apprehendit (accersivit) Theodorum Orientalem, monile aureum collo eius posuit, et armillas duas dexterae eius. Ducem exercitus Romanorum constituit eum, magna dona regia largitus est ei, locupletem valde eum fecit.

Factum est autem, post haec Persae sex mensibus quieverunt, nec adversus Romanos insurrexerunt, quia regis filium lugebant, qui ceciderat in bello. Cum vero audissent eum ab episcopo Antiochiae custodiri, cor eorum paullulum confirmatum est.

Iterum cum Romanis bellum gesserunt, et cum primo magnam cladem accepisset Romanorum exercitus clamavit : «Ecce Theodorus Orientalis rursum contra vos venit». Cum audissent nomen eius, qui iuxta eum erat, Leontius scilicet, equum suum continuit, cucurrit pedibus, percussit Persarum ducem, praecidit ulnam eius dexteram, *quae* cecidit super terram cum gladio qui erat in manu eius. Pedibus rapuit eum *Leontius, ac* vivum ad Theodorum Orientalem

[1] Danubium. — [2] Ανατολεος.

adduxit. Theodorus autem curavit ut Leontius Arabs duceret illum Antiochiam ad regem, et magna clades die illa accidit Persis. Diocletianus vero insuper praecepit Manduciano Getulo (?)[1], *qui* percussit *Persarum ducem coram illo in collo eius, et abstulit caput eius, cessavitque bellum per annum.

Factum est autem iam annum Diocletiano regnante, cum ille esset in theatro, filia minor regina misit nuntium *et* accepit sibi Antiochenum quemdam protectorem[2] Senatus. Ingressus est ad eam. Postea fecit eum sedere in throno eius, constituit eum regem, cuius nomen est Maximinianus tyrannus.

Tum Daemoniacus, Diocletiani pater, scilicet diabolus, totius iniquitatis pater, veritatis inimicus, accessit ad Diocletianum sedentem : et senis aegyptii *veste* indutus erat[3]. Ait illi : «Fili mi, Agrippide, ecce fratrem tuum constitui regem tecum, ne invideas ei, sed statue foedus cum eo, et ambo sitis mihi filii, filii duri erga christianorum genus, ut deleatis eos coram me».

Cumque rex mane surrexisset, in theatro spectans[4], equum suum conscendit cum omnibus palatii optimatibus, ingressus est (?) ad manducandum, solus discubuit manducaturus. Vidit patrem suum Daemoniacum discumbentem secum facie ad faciem, tamquam vir cum amico suo. Surrexit statim, prostravit ei caput, adoravit eum. Et *diabolus* amplexatus est pectus eius, *et* ait ei : «Diocletiane, fili mi dilecte, incede pedibus, convola ad thronum regni, apprehende *manum fratris tui Maximiniani, osculare os eius, adduc eum ad me, ut ostendam vobis quae sunt in corde meo».

Illico surrexit Diocletianus iuxta mandatum patris sui diaboli, adduxit fratrem suum Maximinianum ad eum, qui erat super triclinium; *et diabolus* amplexatus est illum. Dein ambo osculati sunt pedes eius, postea sursum adscenderunt *discubuerunt* cum patre suo, *et* manducaverunt cum eo. Fecit eos regnare simul absque invidia *sibi invicem;* et *conversus* ait ad eos : «Si obtemperaveritis mihi, patri vestro, vindicantes me a confitentibus Deum esse illum qui crucifixus est, gratiam apud me habebitis, ego enim sum deus vester, non recedam a vobis, virtutem praebens vobis ac imperio vestro sive in bello sive in via (pace?). Subiiciam vobis Persas, ut colatis me quemadmodum Persae colunt statuas[5]». Ipsi autem promise-

[1] ⲡⲓⲕⲉⲧⲧⲓⲗⲟⲥ. — [2] *προδηκτωρ*. — [3] Textus videtur corruptus. — [4] Post spectaculum nocturnum in theatro (?). — [5] *αγαλμα*.

runt se ei statuas et columnas erecturos; propter hoc potestatem dedit eis, *ac* recessit.

Et ecce Mastema, omnis iniquitatis pater, veritatis omnis inimicus, instar avis rapacis cito in Persidem convolavit, magnum adversus Diocletianum excitavit bellum ob Nicomedem, Persarum regis filium, quoniam magni Persarum exploratores[1] magna dona et aurum multum *archiepiscopo Antiochiae occulte miserunt. Statim ac aequipependerunt aurum Nicomedi ut pondus eius auri darent illi et ipse dimitteret eum, ad dominum suum Persarum regem duxerunt eum. Et rex Persarum gavisus est valde quod invenerat filium suum incolumem; erat enim Nicomedes dux belli[2].

Paucis autem post diebus egressus est cum tota multitudine sua ad dimicandum adversus Romanos. Romani clamaverunt contra eos : «Ecce Theodorus Orientalis cum Leontio Arabe, consanguineo suo, venit contra vos ad delendum vos». Cum Persarum multitudo audisset nomen Theodori et Leontii, qui post eum erat, clamorem ediderunt, fugierunt, *ac* Nicomedem regis filium dereliquerunt. Statim cecidit, equus perterrefactus est, *fugit et* reliquit eum solum. Theodorus autem et amicus eius Leontius vivum, insaucium ligaverunt eum, duxerunt eum ad regem Diocletianum.

Rex vero Diocletianus coram Maximiniano quaesivit ab eo quomodo fuisset liberatus. Confessus est *dicens :* «Pater meus pondus meum auri dedit episcopo ut me dimitteret ei». Illico in ira impia misit ad episcopum, coegit eum : «Da mihi hominem, quem tradidi tibi tamquam depositum, quo reddam eum patri suo, ut desinat bellum agere propter eum». Episcopus autem mentitus est coram regibus *dicens* : «Mortuus est, et ecce sepultura eius in episcopio[3]».

Cum autem coepisset iurare regibus per divinitatem *quae desuper in caelis est, et Romanorum potentiam, ac Baptisma communionis[4] christianorum : «Ita accidit, Deus visitavit eum, transtulit eum, et mortuus est», *irati* ira Antichristi reges iusserunt Nicomedem adduci, Persarum regis filium. Is redarguit episcopum coram areopago[5] *dicens :* «Accepisti pondus meum auri, *et* dimisisti me». Reges vero iusserunt liquari totum aurum, quod episcopus acceperat pro Persarum regis filio, *ac* episcopi gutturi infundi, donec aurum e naribus eius effluxit, et ille tradidit spiritum. Reges au-

[1] *κατασκοπος*. — [2] *πολεμαρχος*. — [3] *επισκοπη*. — [4] *κοινωνια*. — [5] *αριοπαγος*.

tem recesserunt usque mane. Cum ad palatium in furore magno convolassent, in cubilibus suis recubuerunt ieiuni, in tristitia cordis.

Media vero nocte ecce Saclabaoth, qui caelum et terram conturbat, apparuit eis sub specie hominis formosi[1], et ait eis : «Filii mei, *modo* scitis verba patris vestri vera esse?» Dixerunt ei : «Utique, dominus noster, omnes qui credunt in illum, qui crucifixus est, in magia agunt; igitur quid amplius mandas nobis?» Ait eis Satanael : «Surgite diluculo, templa, stelas aureas et argenteas extruite, adorate eas loco mei, sacrificate eis sacrificia, ac tus offerte : iubete (* p. 45.) *praeconem clamare : 'Hi sunt dii regum', et iubete christianorum ecclesias destrui in terra universa dominationis vestrae; templorum ostia aperiantur in omni eparchia, stelas in nomine meo statuite, agite hoc diligenter, et inquirite christianos, *et* eorum genus delete[2].

Reges autem festinarunt id cum zelo perficere, properarunt ecclesias destruere et aperuerunt templa, ut idola adorarentur. Curaverunt ut essent praesides, et toparchae et potestates *militares*, et accusatores[3] in omni eparchia ad inquirendos et investigandos christianos, atque eos igne, et gladio, et variis suppliciis tribunalis absumendos quoadusque regum deos adorarent : si vero persisterent confiteri illum qui crucifixus est, morte damnarentur. [Ecce dixi vobis quae sunt in corde meo, o filii mei dilecti, quos in spiritu meo genui.]

Initio autem Diocletiani et Maximiniani, regum praevaricatorum ac transgressorum, iusserunt senatores omnes et in dignitate constitutos, et officiales, et universum eorum numerum, insuper et omnes qui Antiochiae erant, in templum adscendere, ut sacrificia ac libamina Apollini offerrent, et vivum comburi eum qui detrec(* p. 46.)tasset. Statueruntque *Praesidem super Thebaidem usque ad Aegypti cataractam, et alterum super Tripolim ac Pentapolim usque ad universam regionem Cyrenes, et alterum super Racoti ac reliquas civitates cunctas, quae sub eorum erant potestate. Et magna perturbatio facta est in universa terra. Satis iam sit nobis de magna impietate, quam filii diaboli, Diocletianus et Maximinianus, in toto orbe[4] decreverunt.

Sinite, christiani dilecti, pro quibus Christus Deus corpus et sanguinem suum divinum tradidit, ut enarremus vobis commen-

[1] *ευσχημων*. — [2] Hic ponenda sunt quae inferius, l. 20-21, uncis quadratis inclusa reperies. — [3] *διωκτης*. — [4] *οικουμενη*.

taria[1] beatorum martyrum Theodori Orientalis, et Leontii Arabis, ac Panygiridis Persae, quos Christus Deus Verbum ad martyrii eorum agonem in eadem confessione pro nomine suo absolvendum invitavit : qui insuper in agonibus Domini sui contra draconem apostatam eiusque improbum agmen[2] egregie certarunt.

En igitur narrabimus vobis commentaria magna, et cogitata (?)[3], ut miremini unanimiter providentiam Dei ducentis omnes qui recto corde appropinquant ad eum, *et* in quo non est humana complacentia[4], quomodo eis praebeat viam ut ad caelos perveniant, *ubi sint* in requie absque perturbatione. Audiatis, dilecti mihi, miracula Dei hominum amatoris, quomodo scilicet sanctos suos ad se convertat.

Factum est autem, beatus Theodorus Orientalis, et Leontius amicus eius recumbebant noctu *iuxta flumen Tanubis, erant (* p. 47.) enim primi duces[5] Romanorum exercitus, antequam quidem reges accerserent eos propter impietatem, in quam inciderant, et idolorum cultum, et modum quo dereliquerant Deum, *et* adoraverant ea quae digiti eorum fecerant. Et ait Theodorus : «Recumbebamus in magna tristitia cordis degentes, propter transgressionem regum, quia nempe impii facti fuerant Deo et apostatae coram eo. Ac hora quidem lucis, ait, videbam viam super terram innixam, scalae instar, et summitas eius ad caeli absidem[6] pertingebat. Videbam, ait Theodorus, iuvenem facie incorruptibili, quasi annorum viginti, sedentem super summitatem gradus cathedrae[7]. Magnus erat valde honor eius : facies magnae admodum thronum eius circumdabant, ad dexteram quidem eius *erant* tamquam facies leonis ac vituli, ad sinistram vero eius tamquam facies aquilae et hominis. Multas alas habebant, eorum faciem velantes. Et rota tamquam serrae *quatuor, quarum* binae *erant* super binas[8] et circuibant turbinis instar. Et post haec respexi iterum, vidi tabernaculum[9] magnum super fulcrum[10] cathedrae. Non ostenderunt autem mihi mysterium cathedrae, ac tentorii, sed dixerunt mihi 'hucusque visio'.

«Ait ad me qui sedebat super cathedram : 'Theodore, vis filius meus esse?' Respondi ei : 'Quis es tu hoc modo, quem video in magna *gloria? Ostende mihi, Domine mi, quisnam sis tu, ut (* p. 48.)

[1] *υπομνηματα*. — [2] *νουμερον*. — [3] *νοημα*. — [4] Cf. *Eph.*, VI, 9. — [5] *αρχηστρατηγος*. — [6] *αψις*, *plur.* — [7] Id est gradus superioris, ubi erat cathedra, ut in abside ecclesiarum antiquarum cernere est. — [8] Cf. EZECH., I, quem si intelligas, et nos intelliges. — [9] Baldachinum, *σκηνη*. — [10] *Ανακλητον*, *sic!*

loquar verbum tuum fratri meo Leontio; ostende mihi, Domine mi, quia timeo inimicum, nam hominum osor est'. Respondit mihi Salvator : 'Optime, electe mi Theodore, dic Leontio dilecto meo me esse primum Verbum Dei patris. Ego sum ille cuius nomen pronuntiatur, ut terror nominis mei humiliet inimicum, fugiatque *ille* cum rubore magno. Ego sum quem crucifixerunt sub Pontio Pilato praeside pro humano genere; ego sum Deus totius carnis'.

«Ego Theodorus dixi coram eo qui loquebatur mecum : 'Ego sum servus tuus, Domine mi, et filius ancillae tuae[1] cum fratre meo Leontio. Rumpe vincula nostra, Domine mi, aufer a nobis iugum servitutis idolorum, iram duorum istorum draconum, Diocletiani ac Maximiniani, regum praevaricatorum, compesce, rogo te, Domine mi'. Dixit mihi Salvator : 'Videbis, o Theodore, tu ac frater tuus Leontius, eum, cui illi crediderunt, instar captivi egeni'. Salvator *rursus* locutus est mecum dicens : 'O Theodore, si vere tibi placet ut meus filius sis, demitte te in hoc stagnum ignis ut munderis'. Perrexi dicens ei : 'Timeo, Domine mi'. Et qui ei adstabant suspenderunt me, ait *Theodorus*, crine capitis mei, tribus vicibus submerserunt me, statuerunt me super pedes meos, et veste munda corpus meum induerunt. Illico factus sum confidens coram eo, instar eorum qui stabant *coram eo parati ad facienda ea, quae de ore illius egrediebantur. [* p. 49.]

«Dixi autem ad eum : 'Domine mi, ac Deus meus, ne sinas Leontium fratrem meum dividi a me'. Respondit mihi Salvator : 'Non modo Leontium, sed ecce etiam magnum Persarum ducem elegi mihi vas electum in regno meo'. Cum me ad dexteram meam vertissem, inveni fratrem meum Leontium stantem ad dexteram meam, et Panygiridem Persam stantem ad sinistram meam : et erat cingulo Persarum indutus. Timui autem valde coram eo. Cum vero me turbatum vidisset, caput inclinavit mihi.

«Unus autem, ex iis, qui circum cathedram stabant, extendit manum suum, apprehendit Leontium ac Panygiridem crine capitis eorum, abluit eos in stagno ignis, ac tradidit eos in manum meam tamquam depositum, et instar patris tradentis filios suos in manum magistri. Ait Dominus ad Leontium ac Panygiridem, et ad me quoque Theodorum : 'Ite in pace, sustinete propter nomen meum, gratia mea vobiscum erit'. Cum autem discessissem ab eo

[1] *Ps.* cxv, 16.

in impetu spiritus mei, Leontio ad dexteram meam, et Panygiride ad sinistram meam stantibus, veni deorsum per scalam, virtute Christi me dirigente.

«Cum autem ad ultimum gradum venissem, vidi draconem magnum ligatum[1] naso annulo ferreo. Caput eius et collum eius erant tamquam hominis, corpus autem eius totum tamquam draconis : terrorem ac conturbationem iniiciebat. Et iacebat in ultimo gradu *ultimae scalae coeli, vigilans ne sineret ullum hominem ad Deum ingredi. Si quando vero Angeli adveniebant adscendentes vel descendentes, cum Iustis ac Beatis omnibus, operiebat faciem suam cum rubore magno, ac retrahebat se sub scala. [* p. 50.]

«Dixi ad angelum, qui mecum ambulabat : 'Quis est hic, Domine mi'. Dixit mihi angelus : 'Hic est inimicus Dei et hominum, ac totius iniquitatis pater; hic est qui seduxit Diocletianum et Maximinianum reges idolorum cultores : hic est pater Antichristi. Nunc vero non praevalebit in te, neque in duos amicos tuos, Leontium ac Panygiridi, quia baptizati estis in nomine Salvatoris Christi, omnium Domini'. Ait virtus[2] quae ambulabat nobiscum : 'Ego veniam vobiscum et cum exercitu Romanorum, qui est iuxta flumen Tanubis, donec accipiatis martyrii coronam, et revertamini per scalam ad Deum Christum Jesum Dominum meum'.

«Tum autem virtus extendit *manum* sub ala[3] sua, eduxit librum charactere sigilli obsignatum. Ait ad me virtus : 'Aperi librum, *et* lege eum'. Cum autem aperuissem librum, ut inciperem legere in eo, stabam iuxta primum gradum viae quae ducit ad caelum. Ego vero coepi legere librum iuxta id quod scriptum est in scriptura sancta Evangelii : 'Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. Et qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram *Patre meo, qui in caelis est, et angelis eius beatis[4]'. [* p. 51.]

«Tum virtus accepit librum de manu mea; ambulavi ego cum duobus sociis meis in una communione. Diluculo autem evigilavi, et ecce erat somnium, et miratus sum de iis quae videram in visione, et certus factus sum vera esse ea quae dicta fuerant mihi; dedi gloriam Deo, quem decet omnis gloria.

«Cum vero diluculo surrexissem, narravi amico meo Leontio

[1] Cf. inferius, p. 55 (textus). — [2] δυναμις. — [3] Ad. litt. : «sub alis». — [4] Matth., x, 32-33.

quae in visione videram. Tum ait ad me Leontius : 'Frater mi, reminiscere me quoque ablutum fuisse tecum in stagno et *cum* quodam Panygiride; ac traditi sumus tibi tamquam magistro'. Tum exilivi, osculatus sum os Leontii, *et* dixi ei : 'Mecum eras frater mi?' Respondit mihi Leontius : 'Utique'. Dixi ei : 'Vere Deus nobiscum est, non timebimus quid faciat nobis homo'».

Nocte autem insequenti ecce virtus luminosa stetit supra Theodorum ac Leontium amicum eius, rapuit eos tamquam equis insidentes, duxit eos ad confines Persidis. Panygiris vero erat dux exercitus Persarum. Dum autem vellet explorare regiones Romaniae universae, confestim humanitate Dei et providentia Christi ait Leontius robusta voce : «Ecce Theodorus Orientalis venit iterum p. 52. *contra vos». Cum autem Panygiris Persa audisset nomen Theodori, obstupuit, errantium instar factus est; ac Christi Dei providentia, omnium qui sui sunt curam gerentis, Theodorus quidem ad dexteram eius, Leontius vero ad sinistram duxerunt illum et equum eius in locum quemdam, hoc est Buneuterion.

Accenso igne, sedebant et loquebantur invicem magnalia Dei. Panygiris autem sedebat, *at* non loquebatur. Ait illi Theodorus : «Quodnam est nomen tuum?» Respondit ei Panygiris : «Non agnoscis me?» Ait illi Theodorus : «Quomodo agnoscam te, quum tu de Persarum gente sis?» Dixit ei Panygiris : «Ego vos ambo novi». Dixit illi Theodorus : «Quomodo hoc sciam?» Dixit ei Panygiris : «Ego cognovi te, quia tu es magister meus ex quo eram in caelo tecum, et a baptismo quod a Christo in stagno accepi, quo baptizaverunt me ac fratrem meum Leontium, et tradiderunt nos tibi tamquam depositum. En igitur dedi vobis signum, quod placet vobis facite».

Cumque Theodorus haec a Panygiride audisset, statim agnovit hunc esse Panygiridem Persam, qui baptizatus fuit in caelo cum Leontio, ac ipsi traditus est. Dederunt gloriam Deo, qui salvat sperantes in eum. Theodorus autem in admiratione ac gaudio magno erat, et continuo narravit Panygiridi atque Leontio quae Christus praecepit eis. Ait Theodorus p. 53. *ad Panegyridem : «Frater mi, venies nobiscum, vel in patriam tuam ibis?» Dixit Panygiris : «Moriar vobiscum pro eo, in cuius nomine, et Patris eius boni ac Sp. sancti baptizatus sum. Et gratiam pro anima mea vobis referam nunc et semper et usque in saeculum saeculorum». Igitur pariter confirmati sunt in Deo christianorum; tum ambulaverunt simul,

et venerunt iuxta flumen Tanubis. Panygiris vero abdicavit *muneri suo*, nec reversus est cum exercitu (?)[1] Persarum, nec amplius partem habuit[2] in eorum perturbationibus *adversus Romanos* usque in hanc horam.

Sex post mensibus misit Persarum rex nuntios fideles ad impios reges Diocletianum ac Maximinianum; audierat enim eos *nunc* idola colere, et *acceperat nuntium* de Nicomede filio suo eum scilicet custodiri apud archiepiscopum[3]. Et dicebat illis : «Si eum sanum ad me miseritis, erimus regnum unum, deos iustos adorantes; et quidquid volueritis poscite, dabimus vobis». Reges vero miserunt ad eum nuntios, *dicentes* : «Volumus ut mittas nobis coronam regni tui, nec addas bellum agere contra nos». Statim autem ob magnum erga filium suum amorem misit illam ad eos una cum purpura. Scripsit iurans per caput Apollinis, et Iovis, et Artemidis, et Athenae ac reliquorum deorum, se non surrecturum adversus eos agere bellum cum eis usque in finem vitae eorum : «Etenim, aiebat, dii mei dii vestri sunt, et regnum meum regnum vestrum est, et vestra mea sunt. Valete, dilecti mei».

Cum autem accepissent scripta, gavisi sunt valde *Romanorum p. 54. reges de salutatione et gratitudine Persarum regis, maxime vero audientes : «Dii mei dii vestri sunt, et regnum meum regnum vestrum». Nec mora, statim miserunt, *et* adductus est Nicomedes coram eis cum honore magno. Et coronam patris eius ostenderunt ei, quam tamen servarunt sibi. Cum eum tribus diebus honorassent, imposuerunt ei coronam Diocletiani et illius purpuram cum magnis honoribus Romanorum regni; miserunt eum cum exercitu multo ac praesidio magno ad patrem eius in Persidis regionem. Ita igitur pacem simul invicem fecerunt, quia statuas tamquam deos adorabant.

Revertamur ergo ad propositum nobis agonem beatorum, S. Theodori Orientalis, et Leontii Arabis, ac Panygiridis Persae, ut videamus certamen forte eorum, et fidem eorum integram, et tranquillitatem eorum imperturbatam, atque amorem eorum in Dominum nostrum I. Christum.

Factum est autem, cum essent beati iuxta flumen Tanubis equos suos exercentes, ecce malus draco, quem in visione viderant,

[1] πανοπλια. — [2] Ad. litt. : «nec ivit ad eorum perturbationes». — [3] Ita videtur esse interpretandum, nisi transpositio aliqua in textu acciderit.

occurrit eis in via, et ait Theodoro : «Consiste, ut salutem (?) te». Beatus vero Theodorus, cum vidisset eum, agnovit eum; statim autem hastam suam disposuit, cerebrum eius transfodit, et nares (?) eius emiserunt sanguinem, *ac sanguis eius defluxit in faciem eius. Tunc cum esset hasta capiti eius infixa, in miseria sua adiuravit eum per illum, qui crucifixus est, ut consisteret, ne eum ante tempus suum perderet.

Ait illi Theodorus : «Non abibis, nisi ostenderis mihi quisnam sis tu». Diabolus autem ob ictus hastae dolorem respondit, *et* dixit Theodoro : «O Theodore, non agnoscis me ? Ego sum draco, quem vinctum vidisti in via pertingente ad caelum». Ait ad eum Leontius : «Quisnam te dimisit ut venires huc ?» Dixit ei diabolus : «Qui abluit vos, ipse praecepit mihi, *et* veni huc ad virtutem meam in genus humanum exerendam, ut adducam eos mecum deorsum in Amenti; quoniam tempus meum appropinquavit». Dixerunt Theodorus et Panygiris : «Usquequo ?» Dixit eis diabolus : «Data est mihi potestas in tempus et tempus[1]». Dixerunt beati impuro : «Non est negotium[2]». Dixit eis diabolus : «Mille anni tamquam unus dies, numerate vobis, et scietis».

Tunc hastam e capite eius eduxerunt. Stetit autem Theodorus et duo socii eius Leontius ac Panygiris, mirantes draconem malum, cui renuntiaverant, ac dimiserunt eum. Cum autem recessisset a beato Theodoro et sociis eius, rugivit in eos instar leonis volentis devorare eos. Ait eis : «Quemadmodum sanguinem meum super terram stillantem vidistis, *efficiam ut et sanguis quoque vester *sanguinis* iumentorum instar[3] effundatur». Illico invisibilis factus est eis.

Statim abiit ad reges diabolus in ira magna. Cum adhuc essent in horto palatii, *ac* vidissent eum faciem sanguine foedatum, dixerunt ei perterriti : «Quisnam es tu hoc modo ?» Dixit eis : «Ego sum pater vester Daemoniacus». Dixerunt ei : «Quisnam fecit hoc tibi ?» Dixit eis : «Theodorus, et duo socii eius, Leontius ac Panygiris, qui deorum cultu reiecto, ad christianorum religionem abierunt, *hoc mihi fecerunt* dum alloquebar eos dicens : 'Filii mei reges haud ferent vos a diis gloriosis averti et eos non adorare qui alunt vos'; etenim ipsi et primores omnes qui sunt super flumen

[1] Cf. DAN., VII, 12. — [2] Scilicet : «quod desideramus; aenigma hoc nobis non sufficit». — [3] Italice ad litt. : «a guisa di quello dei giumenti.»

Tanubis insidiantur diis, ne eos colant. Modo igitur nisi vindicaveritis me ab eis, ibo in Persidem ad fratrem vestrum, curaturus ut vindicet me ab eis».

Reges autem cum vidissent patrem suum in huiuscemodi magno vulnere, quod Theodorus attulerat illi, in magno fuerunt dolore. Diocletianus vero apprehendit purpuram suam, qua erat indutus *et* scidit illam; Maximinianus quoque purpuram suam scidit, in duas partes divisit *ac* stridorem e naribus suis edidit instar apri[1]. Et sceptra, quae erant in manibus eorum, super terram proiecerunt, moverunt capita sua coram Deo *Galileo. Tum statim per magnum palatinum accerserunt Theodorum Orientalem et duos socios eius, Leontium ac Panygiridem, et universum eorum exercitum, dicentes : «Venite, ut festum nobiscum agatis in nomine deorum, quoniam bellum de super nos a fine ad finem terrae ablatum est».

Theodorus autem locutus est cum Leontio et Panygiride, ac ipsi quoque locuti sunt turbis, dicentes : «Fratres mei, qui Deum diligit sequatur nos, ut confiteatur nomen sanctum eius coram istis regibus deceptoribus, ad vitam hereditate capiendam. Vos scitis, dilecti mei, nullum nostrum in aeternum mansurum : qui vult vivere sequatur nos». Turba vero universa una voce clamabat : «Deus vester Deus noster est, et morte, qua moriemini, parati sumus et nos quoque mori». Dixerunt Theodorus, et Leontius, et Panygiris : «Si ita est, vestes igitur vestras exuite, proiicite vos in flumen Tanubis, et vos baptizate[2], in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti; ut, cum ad reges abierimus, confiteamini nomen Domini nostri, I. Christi, incorruptibilem accipiatis coronam, et sursum ad eum in gloria evoletis». Statim autem in flumen se proiecerunt *et* baptizati sunt in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti.

Cum vero ex aqua adscendissent, ut ad *reges convolarent, *et* coronam acciperent, ecce vox ad eos facta est, dicens : «Viriliter agite, martyres beati, ite in pace, ne timeatis; virtus mea et gratia mea vobiscum erunt». Statim autem exultarunt in gaudio, abierunt ad reges, et universa civitas ob turbarum multitudinem turbata est. Reges vero iusserunt exercitum tertio ab urbe milliario consistere. Sanctus autem Theodorus, et Leontius, et Panygiris steterunt coram regibus.

[1] Ad litt. : «suis montani.» — [2] *Sic*. Lege : «ut baptizemus vos (?).»

Ait S. Theodorus regibus : «Quodnam est peccatum quod patravimus, o reges, quod in ira accersistis nos?» Responderunt ei reges : «Cur extendisti manum *tuam,* et ictu hastae percussisti patrem nostrum in medio capite eius, dum vobis deorum iustorum cultum suadebat, imo abiecistis eos, *et* in Galilaei insania ambulastis?» Dixit Theodorus cum duobus sociis suis : «O reges, vultis Deum derelinquere, qui pro nobis omnibus crucifixus est, ut colatis eum, quem Deus odit, atque e caelo propter eius elationem cordis deiecit? nunc igitur convertimini ad Christum, ut dimittat vobis». Dixerunt ei reges : «Per deos gloriosos, o Theodore, curabimus te super lignum crucifigi instar illius cui credidisti, quem crucifixerunt Iudaei; nec potuit seipsum de manu eorum liberare». Tum reges iusserunt Theodorum seorsim duci.

*Locuti sunt reges cum Leontio, dicentes : «Tu quoque, quodnam est nomen tuum?» Respondit ei Leontius : «Leo est nomen meum, quod interpretatur ignis, ita ut vos ac deos vestros igne Dei mei inextinguibili comburam». Dixerunt ei : «Unde es tu? dic nobis». Respondit Leontius : «Ego sum Arabiae incola». Respondit tertius, scilicet Panygiris, *et* ait : «Ego vero, Panygiris est nomen meum, ego sum Persa».

Cum reges audissent nomen Persarum, timuerunt ne inimicitia esset iterum inter eos et Persas. Tum dixerunt reges sanctis : «Quid dicitis? adorabitis deos, an non?» Dixerunt illis Leontius et Panygiris : «Comburamini vos cum diis quoque vestris, et illo quem S. Theodorus vulneravit in cerebro eius; abeatis in Amenti deorsum, locum quem Aeternus non visitabit; etenim non est nobis Deus praeter Christianorum Deum».

Tum reges sententiam in eos tulerunt, S. Theodorus quidem ut in persea, quae erat in medio civitatis, crucifigeretur, Leontius vero et Panygiris ut ducerentur, ac Germanico Tripoleos praesidi traderentur, ut inquireret eos, nec parceret eis, in sartaginibus ferventibus, et oleo, et cera, donec traderent spiritum. Ita agonem suum absolverunt, Leontius quidem in Tripoli, Panygiris vero in Pentapoli, iuxta regum mandatum, *et incorruptibilem acceperunt coronam in caelis usque in aeternum, in pace. Amen.

S. Theodorus ductus est ad perseam, secundum regum mandatum, ut in ea suspenderetur. Extenderunt manus eius in modum crucis, fecerunt ei, dixerunt, instar Domini eius. Tunc autem clavos attulerunt, singulos dimidium cubiti longos, infixerunt eos corpori

eius in perseam a capite usque pedes eius, et reliquerunt eum in hoc cruciatu.

Media autem nocte ecce diabolus stetit coram eo, *et* ait ei : «Theodore, da mihi verbum *tuum* per illum qui crucifixus est, te non petiturum me hasta iterum, et curabo ut eripiaris ab istis clavis». Dixit Theodorus : «Vivit ille, qui crucifixus est, ego ictum hastae afferam tibi pro ictibus singulis clavorum, qui infixi sunt corpori meo». Statim autem lacrymatus est ille, *et* cum rubore fugit.

Hora vero lucis Christus venit ad eum, archangelo Michaele ad dexteram, Gabriele ad sinistram ipsius stantibus. Ait illi : «Salve, Theodore, dilecte mi; vis ut requiescere faciam te ab omnibus cruciatibus tuis, quemadmodum dedi requiem sociis tuis Leontio et Panygiridi, electis meis, qui te in caelos in gloria praecesserunt?» Dixit ille : «Utique, Domine mi». Illico tradidit spiritum Domino; et Salvator tradidit animam eius Michaeli archangelo, *qui* custodivit eam, illum secum ad caelos sursum duxit, * secundum stratelatem constituit eum, *ac* ad dexteram suam posuit eum; Leontium quoque ad dexteram Gabrielis, Panygiridem ad sinistram eius. Hic est modus, quo Christus disposuit eos in caelis.

Et Dominus promisit eis : «Omnes, qui sunt in regionibus *cunctis*, efficiam ut festum celebrent vobis in die commemorationis vestrae. Efficiam ut reges et qui in amplitudinibus sunt veniant oblatum dona ad topos vestrum. Omnes qui invocaverint nomina vestra in auxilium sibi, liberabo eos ab omnibus angustiis eorum. Quicumque scripserit martyrium vestrum, ostendens labores, quos pro nomine meo suscepistis, scribam quoque et ipsius nomen in libro vitae, donabo eum vobis in regno meo». Cum autem Dominus haec dixisset, accepit animam S. Theodori, sustulit eam secum ad caelos, angelis eius sanctis ante illum canentibus.

Tum reges impii surrexerunt, abierunt iuxta perseam, cui beatus suspensus erat, sursum respexerunt in eum, viderunt eum iam consummatum esse. Et iusserunt educi illum e clavis, *et* posuerunt eum in sepulcro ob fortitudinem eius. Absolvit martyrium suum beatus Christi martyr, S. Theodorus Orientalis, die XII^a mensis tōbi, in pace Dei. Amen.

Ad exercitus autem universos quod attinet qui cum S. Theodoro ambulabant, *et* quos reges tertio ab urbe milliario consistere fecerant, iusserunt *reges* afferi Apollinem ad locum ubi erant, ut qui adorassent *eum magnos honores a regibus acciperent, qui vero non obtem-

perassent in ore gladii interficerentur. Et non unus ex universo populo impurum Apollinem adoravit, sed dicebant : «Idola, et qui colunt ea sint in perditionem. Modo autem confitemur Deum Verbum [1] pro nobis crucifixum esse, mortuum et a mortuis suscitatum propter nostram salutem, Deum S. Theodori et Leontii [2]... 5

[1] λογος. — [2] Reliqua desiderantur.

IV

Die xxvii Tōbi *p. 63.

MARTYRIUM, QUOD BEATUS DOMINI NOSTRI J. CHRISTI MARTYR, S. APA SARAPION DE PAGO PANEPHŌSI IN NOMO NIMEŠŠŌT, CONSUMMAVIT DIE XXVII MENSIS TŌBI, IN PACE DEI. AMEN.

5 Factum est autem in anno v° Diocletiani, impii regis, diabolus errare fecit cor eius a deo caeli. Scripsit *Diocletianus* ad Arianum praesidem Antinōū, eum omnibus praesidibus altius honorans, ita ei dicens : «A Racoti usque Peremūn, et Pilach (Philae) potestas tibi tradita est : sive comes, sive dux, sive praeses, sive episcopus, sive 10 presbyter, sive diaconus, sive hypodiaconus, sive lector, sive paganus, sive miles, sive dives, sive pauper, sive masculus, sive femina, potestas tibi in eos omnes data est. Et conscendas igitur nonnullas naves, per civitates et pagos singulos deambules, ut inquiras christianos, *ac* efficias ut diis iustis sacrificent.

15 Arianus autem iussit parari sibi lusorium suum *navigium*, universam adiit *inferiorem* Aegyptum, christianos inquirens, donec Panephōsi pervenit, in nomo Nimeššōt. Cumque diligenter inquisitum fuisset in christianos illius loci, auditum est de fortitudine cuiusdam iuvenis sapientis, aspectuque pulchri, Sarapionis nomine. 20 Pulcher erat oculis, *decorus statura, ac forma pinguis. Hic autem dives valde erat, iuxta hunc mundum, auro et argento, et jumentis plurimis, et camelis, et camelabus, et boum iugis, et ovibus multis absque numero. Nobilis erat genere, cunctis pagi sui archontibus praecellens; et universus pagus eius diligebat eum ob mansuetudinem 25 eius, et philanthropiam. *p. 64.

Cum autem audisset praesidis proclamationem, et *notitiam* militum christianos inquirentium, spiritus Dei cecidit super eum : surrexit in medio fratrum suorum, nec prorsus domum reversus est, sed renuntiatis universis possessionibus discessit.

30 Erat ei collega senator, iuxta eum sedens, Isidorus nomine, qui cum vidisset eum cito surrexisse, et abiisse, spiritu Dei et ipse actus surrexit, et abiit cum Apa Sarapione. Dum autem ambo iter faciebant, ecce adolescens quidam famulus venit ambulans post beatum Apa Sarapionem, *et* clamavit : «Pater mi, quo, vis, adducam camelos ut 35 pascant, et reliqua omnia iumenta?» Respondit B. Apa Sarapion, *et* dixit ei : «Erme, hoc enim erat adolescentis nomen, fili mi, ex

hac hora haud mihi cura est de camelis, neque de ulla suppellectile ex omnibus quae habeo, ea enim renuntiavi propter amorem domini mei I. Christi, filii Dei viventis, ut confitear eum coram impio isto». Respondit Ermē, *et* dixit : *«Equidem, pater mi sancte Apa Sarapion, quocumque perges veniam et ego tecum, si vives vivam tecum, si morieris moriar tecum». Isidorus quoque respondit, *et* ait : «Et ego veniam tecum, pater mi, neque te dimittam quocumque ieris».

Ita autem una simul tres ambulaverunt, donec pervenerunt ad Ariani praesidis lusorium; ac ore uno clamarunt : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte»; eumque et Diocletianum regem, ac idola eius manufacta execrati sunt. Et praeses sedit iuxta flumen, *ac* eos comprehendi devincique iussit. Circumspiciens autem vidit S. Apa Sarapionem magnam gratiam in vultu suo habere, *et* dixit ei : «Quisnam es tu hoc modo, in cuius vultu gratia haec magna est? vir enim nobilis videris. Agedum manifesta mihi rem, unde es, aut cur perdere vis pulchritudinem et maiestatem tuam? Equidem, si quis nobilis in medio hominum sedentium transeat, *hi* videntes eumque in maiestate sua intuiti aiunt ad invicem : 'Certe magnus vir iste est in domo sua'. Equidem statim ac te vidi, agnovi, pro gratia quae est in ore tuo, te virum magnum in domo tua esse, atque divitem. Agedum indica mihi, unde es? vel num vos tres ex eodem pago estis? vel utrum isti filii tui sunt an non?» Respondit B. Apa Sarapion, *et* dixit praesidi : «Si scire vis undenam simus, nos Panephōsienses sumus in nomo Nimeššōt; et si genus meum sciscitaris, *ego liber sum, ac tributum regi confero. Et Isidorus quoque, amicus meus, senator est; et hic alius, nomine Ermē, vernaculus est ex domo mea, mensae meae mecum accumbens. Ipsi socii mei facti sunt in mundo, et spero in Domino meo I. Christo eos et concives meos futuros esse in caelesti Ierusalem. Tu vero, ac rex tuus Diocletianus, igne comburemini inextinguibili».

Respondit Arianus, *et* dixit ei : «Quodnam est nomen tuum?» Dixit ei nobilis *vir* : «Est mihi nomen Sarapion». Ait illi praeses : «Estne tibi uxor, sunt ne *tibi* filii?» Respondit ei beatus : «Cur quaeris huiuscemodi rem?» Ait illi praeses : «Quia eos accersere volo, ut deprecentur te, *et* effugias tribunalis[1] cruciatus, domum abeas tuam, ne carnem tuam perdas : video enim te omni gratia

*p. 65. — *p. 66.

[1] δικαστηριον.

plenum. Equidem si haberem filiam, eam tibi darem uxorem ob pulchritudinem oris tui, atque gratiam qua indutus es». Ait ad eum Apa Sarapion : «Iuro tibi, ni solvas navem hanc, atque recedas, homines meos, cum resciverint me tecum heic versari, huc venturos, navem combussuros, ac turbam tuam una tecum flumine demersuros».

Haec autem eo loquente, ecce venerunt milites, quos praeses miserat in universum nomum illum, christianos inquirentes, et dixerunt praesidi : «Dominus noster, nullum christianorum invenimus; *unum quidem, Sarapionem nomine, indicaverunt nobis habitatores illius pagi. Vir magnus est, dives valde : cuncti pagi sui archontes diligunt eum ob splendorem quo circumdatur, et sapientiam eius, ob eleemosynas quas dat, diu noctuque synaxes suas agens. Adlaboravimus ad inquirendum eum, et non invenimus». Respondit praeses, *et* ait : «Fortasse ille est scelestus hic». Dixit ei Eusebius syncellarius : «Equidem, domine mi, si ille est, suos homines turbatos eius causa reperies, ut dixerunt milites, quia cuncti pagi sui archontes eum reverentur».

Statim praeses iussit eos (*Sarapionem et socios eius*) ligari; in arcam navis detrudi, et claudi illam super eos. Apa vero Sarapion in arca navis positus oravit ita dicens : «Domine mi, I. Christe, Verbum unigenitum Dei Patris, tu imperabis vento ut in virtute tua nos occidentem versus propellat». Illico autem Dominus effecit ut ventus ad puppim navis flaret; cum autem navis paullulum recessisset ab ora; ecce advenerunt omnes homines Sarapionis et domestici eius[1] cum gladiis, fustibus et igne, volentes navem incendere, ac praesidem interficere.

Extemplo vincula quibus B. Apa Sarapion erat constrictus soluta sunt; surrexit ille, stetit cum sociis suis in medio navis, *et* clamavit dicens : «Obsecro vos, *fratres mei, *sinite* me ire ad Dominum meum I. Christum, omnium regem regum : testis est mihi Dominus me in ulla re una die dolore vos non affecisse». Multitudo universa clamabat : «Pater noster, Apa Sarapion, ne derelinquas nos orphanos, tamquam oves quae non habent pastorem». Respondit beatus Apa Sarapion, *et* ait eis : «Dominus meus, I. Christus, vestrum ac totius pagi vestri firmiter et secure curam geret». Multitudo universa et fratres eius responderunt dicentes : «Pater noster,

*p. 67. — *p. 68.

[1] Italice ad litt. : «e quelli di sua casa».

Apa Sarapion, nonne dispones domum tuam, et omne quod tib est?» Respondit beatus Apa Sarapion, *et* ait eis : «Fratres mei, recordamini verba Scripturarum : 'Aurum et argentum aeruginabit, vestimenta corrodentur tineis[1], pulchritudo corporis corrumpetur in sepulcro; qui autem facit voluntatem Dei manebit in aeternum[2]'. Ego vero ex nunc omne quod est in mundo dimisi ob amorem meum erga Dominum meum, I. Christum; scriptum est enim : 'Mundus transit et concupiscentia eius[3]'. Insuper bonus Salvator noster ait in Evangeliis beatis : 'Qui non renuntiaverit omnibus possessionibus suis, non potest meus esse discipulus[4]'. Qui ergo e fratribus meis Deum diligit sequatur me quo pergam; pergam enim ad Dominum meum, Iesum Christum, in Ierusalem caelestem».

Statimque ecce XII homines, ex iis qui in ripa adstabant, praesidem probro affecerunt, * exsecrantes eum *et* clamantes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte, et morte, qua pater noster Apa Sarapion morietur, et nos moriemur»; proieceruntque se in aquam, et navi sese apposuerunt. Tunc beatus Apa Sarapion extendit manum suam, eos ab aqua sursum traxit; *et* sederunt cum eo in navi. Praeses autem imperavit servis ut ligarent eos, in arcam navis detruderent, *et* clauderent eam super eos. Die vero tertia pervenerunt ad nomum Nimeššôt, Panephrē. Et iussit praeses eos in carcerem illius loci detrudi usque in diem crastinum.

* p. 69.

Cum autem factum esset mane, praecepit educi e carcere S. Apa Sarapionem, et ad tribunal sisti. Dixit ei praeses : «Sarapion, sacrifica diis regis». Respondit Apa Sarapion *et* ait ei : «Quibusnam diis vis ut sacrificem?» Dixit ei praeses : «Apollini, Artemidi et Athenae». Ait ei Apa Sarapion : «Evellatur lingua tua et radix[5] eius, ac eorum organum, quod ad impietatem proclive est». Respondit praeses in ira, *et* ait ad sanctum : «Animadvertam in te pro tua impudentia». Iussit illum equuleo[6] suspendi *ac* cruciari a militibus, donec sanguis eius in terram defluxit. Beatus autem Apa Sarapion fortiter huiuscemodi cruciatum pertulit. Praeses vero iussit eum ab * equuleo deponi, *et* ait illi : «Sarapion, adsunt *alia* tormenta in tribunali[7]». Respondit ei beatus : «Nihili facio tormenta tua, neque timeo tribunal tuum; mecum enim est Dominus meus,

* p. 70.

[1] Cf. IAC., V, 2, 3. — [2] I IOH., II, 17. — [3] *Ibid.* — [4] LC., XIV, 33. — [5] *υπογλωσσις?* — [6] *ερμηταριον.* — [7] *δικαστηριον.*

I. Christus, qui me confortat, ut te ac tuum scandali regem confundam».

Respondit praeses, *et* ait ministris : «Accendite fornacem iuncis, et pice, et bitumine, et sulphure, et assula, et sarmentis, quoadusque flamma eius adtollatur valde»; et accivit nonnullos homines robore praestantes, *ac* praecepit eis ut B. Apa Sarapionem vinculis[1] ferreis adstrictum in medium fornacis ignis ardentis proiicerent. Obsignavit ostium eius tribus diebus ac tribus noctibus.

Beatus autem Apa Sarapion oravit in medio ignis, ita dicens : «Domine mi, I. Christe, unigenitum Verbum Patris, nomen suave, gloriosum, mysterium absconditum; qui crucem pro salute humani generis adscendisti; corona martyrum, laus Cherubim, loquela Seraphim, robur Prophetarum, decus Apostolorum; lux vera quae venit e caelis; qui te manifestasti progeniei[2] Adami ut ab errore nos liberares; qui revelasti abscondita, et quae non erant effecisti ut omnia essent verbo oris tui; tu enim es cui millia millium angelorum, et myriades myriadum archangelorum beatorum adstant; qui inclinasti caelos, venisti super terram, * corpus et sanguinem tuum divinum pro mundi totius vita tradidisti. Domine mi, si velis, ignis extinguitur, et mare arescit; tu es qui misisti angelum tuum, tres sanctos e medio fornacis ignis ardentis Nabuchodonosor regis liberasti; calceamenta eorum non sunt disrupta, capillus capitis eorum non est adustus, et odor ignis non fuit in vestimentis eorum[3], sed ambulabant in medio ignis laudantes et benedicentes te, Deus universi. Nunc vero Domine mi, I. Christe, exaudi me hodie in medio huius ignis, ne sinas impium hunc praesidem gloriari ac dicere : 'Ubi est Deus eius?' quia tua est gloria et potestas in saeculum saeculorum. Amen».

* p. 71.

Statim ecce archangelus Michael descendit de caelo, abiit in medium fornacis ignis ardentis, expanditque alas suas lucidas super S. Apa Sarapionem, et ignis factus est velut aqua frigida et ventus roris sese effundens[4]. Ac tribus post diebus *constitutis* iussit praeses aperiri fornacem, dicens : «Modo veniat Iesus, et liberet infelicem hunc de manibus meis». Milites autem fecerunt ut dixit eis. Cum vero fornacis ostium reserassent, S. Apa Sarapionem stantem, et incolumem in medio fornacis ignis, manibusque expansis,

[1] *αλυσις.* — [2] *γενος.* — [3] DAN., III, 24. — [4] Cf. *πνεῦμα δρόσου διασυρίζον. Oratio Azariae*, 26; DAN., III, 50.

orantem viderunt; atque sursum eductum coram praeside incorruptum statuerunt.

*p. 72. *Praeses autem cum vidisset faciem eius instar solis splendentem, et corpus eius velut rosa rubescens, ait illi : «Sarapion, equidem quattuor myriades christianorum iam interfeci, nec quemquam, sicut tu, validum reperi : equidem magister magus *es* tu; ecce enim superasti ignem». Respondit B. Apa Sarapion *et* ait praesidi : «Ego magus non sum, absit! at Dominus meus, I. Christus, misericors est et miserator, *et* salvat omnes qui sperant in eo». Respondit Arianus praeses, *et* ait ei : «Ne extollaris, o Sarapion, adsunt *alia* tormenta in tribunali». Et iussit praeses afferri instrumentum[1] ligneum rotae instar, *et* in illam coniici B. Apa Sarapionem, ut ageretur super eum. Sanctus autem fortiter huiuscemodi pertulit cruciatum.

Praecepit iterum afferri magnum lebetem, *ac* coniici in eo sulphur, bitumen, gummam et acetum, et *igne* sub eo lebete valde succenso, illa faucibus ac naribus eius infundi. Et ille fortiter subiit huiuscemodi cruciatum. Respondit praeses, *et* ait Apa Sarapioni : «Quare non sentis cruciatus?» Respondit B. Apa Sarapion, *et* dixit ei : «Equidem hoc sulphur, et haec pix, et hoc bitumen, et haec gumma, et hoc acetum sunt instar roris defluentis in fauces meas, *ac* me saginant».

*p. 73. Iterum iussit praeses *xII lora (corrigias) de corpore eius detrahi a capite eius ad talos usque. Beatus vero minime doluit, sed fortiter admodum et huiuscemodi pertulit cruciatum. Arianus autem iussit B. Apa Sarapionem in carcerem detrudi, usque dum deliberaret quid ei faceret.

Beatus vero cum in carcerem fuisset adductus, vidit illos qui propter nomen Domini nostri, I. Christi, inclusi erant, *et* ait eis : «Salvete, fratres, Christi martyres; roboramini in Domino, quia non est corona cotidie, nec lucta omni hora. Ecce parati sunt vobis throni vestri atque coronae vestrae in caelis. Archangelus Michael ministrat vobis, nec sinet vos affligi, sed robur dabit nobis omnibus ut impium hunc praesidem confundamus. Nunc igitur fratres mei, surgite, sursum deprecemur Dominum, ut ostendat nobis quae ventura sunt nobis».

Surrexit autem B. Apa Sarapion, stetit ante eos omnes, aperuit os

[1] μαγγανον.

suum, oravit, ita dicens : «Domine Deus omnipotens, qui sedes super currus Cherubim, cui adstant Seraphim; qui exaudisti patrem nostrum Adam in aquis Iordanis, misisti ad eum Michaelem archangelum, *ac* eius poenitentiam ab illo suscepisti; qui salvasti Noe et filios eius de aquis diluvianis; qui Abraham Patriarcham liberasti, suscepisti ab eo sacrificium filii sui *Isaac, et posuisti benedictionem in ore Iacob Israel; qui salvasti Danielem de lacu leonum, qui salvasti tres sanctos de fornace ignis ardentis; qui Susannam de manibus seniorum transgressorum liberasti; qui Moysen eiusque populum per desertum duxisti; qui Ioseph de manibus Aegyptiae salvasti; nunc igitur, Domine, audi nos hodie, mitte nobis Michaelem archangelum, ut quodcumque nobis statutum est ostendat». *p. 74.

Statim autem ecce archangelus Michael de caelo descendit, omnes unum post alium amplexatus est; vertit se ad S. Apa Sarapionem, dixitque ei : «Salve Christi regis paranymphe! dico tibi, o Deo dilecte A. Sarapion, multos iustos de honore magno, qui tibi erit, gloriaturos, quoniam bonus odor tuus in caelesti Ierusalem effusus est ob fortitudinem tuam, ac multitudinem divitiarum tuarum, quas post te reliquisti propter nomen Christi. Multa prodigia per te fient, et Arianum eiusque idola impura probro afficies». Ait beatus Michaeli archangelo : «Obsecro te, domine mi, ut mihi virtutem praebeas ut agonem meum consummem». Tunc archangelus Michael extendit manum suam dexteram super corpus B. Apa Sarapionis, dicens : «Nullus cruciatus in corpus tuum praevalebit». Et ait illi : «Cras cum surrexeris, Arianus praeses te arcesset *ut te excruciet; ne timeas, donum magnum crastina die per te civitati huic manifestum fiet». *p. 75.

Post haec Michael vertit se ad sanctorum multitudinem, *et* dixit eis : «Roboramini, confortetur cor vestrum, quia crastina die, hac hora, praeses sententiam in vos feret. Ego venio ad vos cum angelorum turba, ut sursum ad caelos animas vestras adducam, et unusquisque vestrum thronum suum, suamque accipiat coronam». Post haec Michael amplexatus est eos, dedit eis pacem; et abiit sursum ad caelos in gloria. Beatus autem A. Sarapion fratres martyres per Scripturas sanctas confortabat usque dum illuxit.

Erat autem archon quidam cum cccc hominibus *carcere* inclusus ob tributa quae debebant. Cum autem vidisset B. Apa Sarapionem manibus expansis orantem, ac magna circumdatum gloria,

surrexit archon *et* procubuit ad sancti pedes, ita dicens : «Obsecro te, pater mi, S. Apa Sarapion, miserere mei ut servus Dei tui efficiar». Dixit ei B. Apa Sarapion : «Quid tibi est? aut cur inclusus es *carcere?*» Dixit ei archon : «Inclusus sum ego cum cccc hominibus istis ob regis tributa, quae solvere nequeo[1]. Si nos Dei tui servos effeceris, liberabis animas nostras de morte». Respondit B. Apa Sarapion, *et* dixit ei : «Dominus meus I. Christus misericors est, * gaudet peccatoris conversione, qui se toto corde ad eum converterit. Dominus meus I. Christus efficiat ut te videam in caelesti Ierusalem, teque cum tuis sociis sanctorum martyrum choro adnumeret».

Haec autem cum diceret S. Apa Sarapion, lux orta est. Et praeses iussit B. Apa Sarapionem de carcere educi; *et* statuerunt illum coram eo. Dixit ei praeses : «O Sarapion, nondum suasus es sacrificare diis regis?» Respondit B. Apa[2]....... ....

....

....

....

....

Postea iussit praeses adduci ad se B. Apa Sarapionem. Milites autem, cellae ostio reserato, sanctum stantem, *atque* orantem invenerunt, eumque eductum coram praeside statuerunt, facie eius solis instar splendente.

Dixit ei praeses : «Equidem magnus magister magus es tu; incantasti lebetem, haud sinens eum incalescere tibi. Ecce magiae tuae vulnus attulerunt mihi». Respondit beatus, *et* dixit ei : «Ego magus non sum, absit! sed est Dominus meus I. Christus, qui * mecum est, *et* auxiliatur mihi. Tu, o canis immunde, rexque quoque tuus impius Diocletianus impietatem omnem diaboli patris vestri adinvenistis». Et iratus est praeses, iussit beatum equuleo suspendi, *atque* excruciari a quattuor carnificibus, binis contra binos, donec ossa eius nudata, ac intestina eius e ventre egressa essent, universa multitudine eum spectante.

Beatus autem Apa Sarapion oculos sursum ad caelos levavit, *et* oravit ita dicens : «Domine Deus Omnipotens, qui sedes super currus Cherubim, cui adstant Seraphim, cui millia millium ange-

[1] Ad litt. : «quae sunt extra me». — [2] De hac lacuna vide adnotationem ad textum.

lorum, et myriades myriadum archangelorum hymnum dicunt; qui plasmasti Adam, primum hominem, ad similitudinem et imaginem tuam; qui revelasti mysteria filio suo Seth; qui salvasti Noe eiusque filios ab aquis diluvianis; qui liberasti Ionam de ventre ceti; qui salvasti Tobit et Tobiam de vinculis daemonum; qui salvasti Iudith et universum populum eius de manibus Holofernis, Nabuchodonosor regis archistrategi; qui liberasti Danielem de lacu leonum; Domine, audi me quoque hodie, mitte ad me magnum archangelum Michaelem ut auxilietur mihi; quia te decet gloria cum unigenito Filio tuo, I. Christo, Domino meo, et S. Spiritu vivificante, usque in aeternum. Amen».

* Extemplo equuleus confractus est medius et in duas partes divisus; sanctus descendit, nec ullum malum in eius corpore erat. Cum magnum hoc prodigium universa turba spectasset, ccc homines, xx mulieres, iv parvi pueri et viii monachi uno ore clamarunt, dicentes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte : credimus in I. Christum, Deum beati Sarapionis». Praeses autem haec audiens turbatus est, pracepitque eos in desertum locum educi, *et* a militibus in frusta securibus concidi. Ita martyrium suum consummarunt, in pace. Amen.

Dixit praeses Apa Sarapioni : «Modo ne persuasus es? ecce et animarum istarum omnium sanguinem imposuisti tibi». Respondit beatus, *et* ait ei : «Scriptum est : 'Mors iustorum non est mors, sed vita aeterna'. Modo igitur gaudeo super myriades myriadum quod tali plexi sunt morte, *atque* in civitatem Christi abierunt, quae est caelestis Ierusalem. Equidem pater noster Abel dicet Salvatori in die iudicii : 'Domine vindica me a fratre meo Cain, eo quod non sivit me crescere ut animarum multitudinem in regnum tuum adducerem'». Dixit ei praeses : «Desine tandem multa verba facere, o Sarapion; obtempera mihi, sacrifica diis regis, ne pulchritudinem tuam variis in tormentis perdas». Respondit ei beatus : «Uno contentus sis verbo : non obtemperabo tibi; quod tibi placet fac mihi». * Praeses iussit perforari talos eius, ac funiculum e fibris palmae per eos immitti, eum*que* a tergo equi ligari; praecepit militem immitem insidere equo et civitatem universam cum illo circuire, atque praeconem clamare ante eum in tota civitate : «Haec facta sunt isti, quia deos regis non adoravit». Et sanguis eius lapides platearum civitatis oblinivit. Et infirmus quilibet qui sanguinem beati exciperet, eoque se obliniret, illico sanabatur. Surdus,

audiebat; caecus, videbat; claudus, ambulabat; leprosus, mundabatur.

Et ecce advenerunt homines defunctum baiulantes, portantes eum ad sepeliendum. Tulerunt sanguinem a beati corpore defluxum, eoque oblinierunt mortuum. Statim surrexit mortuus, *et* aperuit oculos suos. Universa autem turba clamavit : «Equidem homo hic iustus est, propterea huiuscemodi omnes virtutes ab eo procedunt». In die *illa* crediderunt in Deum animae DCXL, omnes uno ore clamantes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte, credimus in Deum Apa Sarapionis». Et iussit praeses eos educi extra civitatem, *ac* eorum caput auferri. Ita martyrium suum consummarunt XX[a] die mensis tōbi, in pace. Amen.

Arianus autem praeses ait B. Apa Sarapioni : «O Sarapion, adlaboravi ut parcerem tibi; agedum *sacrifica diis regis». Respondit B. Apa Sarapion, *et* ait praesidi : «Nequaquam hoc fiet unquam ut diis alienis sacrificem, praeterquam Domino meo I. Christo, et Patri eius bono, atque Spiritui sancto». Tum iratus est praeses, *et* iussit eum in os percuti, pronum sterni, *ac* taureis[1] a quattuor militibus caedi, donec eius sanguis in terram effluxit. Beatus vero fortiter subiit huiuscemodi cruciatum. Iussit praeses afferi fascias lineas, *et* beati corpori ea advolvi. Iussit afferri ceram, et asphaltum, et colophoniam, eaque in lebete dissolvi, ut in corpus B. Apa Sarapionis, fasciis obvolutum, effunderentur, donec in similitudinem statuae terreae fieret. Postea iussit ignem accendi ei donec flamma efferretur valde, universa eum spectante multitudine, quae videbat ignem circa illum exardescentem a prima usque ad horam diei nonam. Flebatque turba, dicens : «Utinam sacrificasset, ut eiusmodi mortem evaderet! ecce corpus eius in cinerem redigitur».

Cum iam horis novem eum circumisset ignis, ecce archangelus Michael descendit de caelo, abiit in medium ignis, quem ab illo recedere fecit. Turba vero adspiciebat B. Apa Sarapionem in medio ignis *stantem*, nec *ullum malum in eius corpore erat. Imo facies eius solis instar splendebat, *et* corpus eius rubescebat velut rosa in diebus pharmūthi. Hilaris erat sicut qui vinum potavit.

Statim MD animae clamaverunt, dicentes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte; credimus in Deum A. Sarapionis; non est alius

[1] Ad litt. : «taureis baculeis».

Deus praeter eum». Et arripuerunt lapides, et proiecerunt contra imaginem sculptam regis, insurrexerunt adversus Arianum volentes illum occidere. Et tulit sententiam in eos praeses; ducti sunt extra civitatem, *et* caput eorum ablatum est. Atque ita martyrium suum consummarunt die XXII[a] mensis tōbi, coronam adepti[1] immarcescibilem in regno caelorum.

Post haec praeses vertit se ad S. Apa Sarapionem, dixitque ei : «O Sarapion, desine tandem ab hac dementia, veni, sacrifica diis regis, et faciam te patrem mihi : optime scio a rege te valde dilectum. Si ille audierit te sacrificasse diis regis, te socium regni[2] faciet secum in palatio. Ego quoque ad eum scribam ut tibi magnas, *et* excelsas dignitates conferat. Nunc vero haud labor est sacrificare. Sed quemadmodum me facere videbis, fac et tu».

Iussit praeses accendi aram in templo, *et* afferi sibi tus *candidum Persiae, valde bonum, et galbanum Pamphyliae, et asphaltum Phrygiae. Cumque accepisset ea Arianus praeses, obtulit illa coram multitudine universa. Postea sumpsit praeses de aromatibus (turis, galbani, etc.), accessit ad B. Apa Sarapionem, dicens : «Accipe haec aromata, quemadmodum me facere vidisti, fac et tu». Ait ad eum sanctus : «Si ita est modus sacrificandi, sine ut prius orem». Oravit ita dicens : «Domine mi, I. Christe, haec hora est ut glorificetur nomen sanctum tuum coram turba hac universa, ut sciant te Dominum Deum verum, et alium praeter te non esse in caelo nec super terram». Et universa turba adspiciebat B. Apa Sarapionem. Nonnulli dicebant : «Post has virtutes, quas homo iste patravit, sacrificabit his *diis* manu hominis confectis?»

Post haec autem ait S. Apa Sarapion ad praesidem : «Veni ad me ut videam aromata tua». Praeses ad sanctum accessit, manibus ferens aromata ut ea illi traderet. Extemplo aromata quae erant in manu eius, tres leones feri evasere, *qui* in praesidem irruerunt. Et praeses cecidit in faciem suam, atque universa turba ob leonum timorem perturbata est. Milites evaginaverunt gladios suos, eorum manus extensae sunt, nec omnino potuerunt eas ad se retrahere. Et leones verterunt se ad beatum, eius*que* pedes lamberunt. Ait Apa Sarapion ad turbam : «Ne timeatis leones, nam *et ferae immanes cognoscunt eos omnes, qui nomen Domini nostri I. Christi glorificant».

Et leones irruerunt in praesidem, donec perambulaverunt cum

[1] Ad litt. : «portaverunt». — [2] Ad litt. : «socium sessionis».

eo totam civitatem; *ac* iterum reversi sunt ad beatum, carnes praesidis mordentes. Praeses cum vidisset S. Apa Sarapionem, osculatus est pedes eius dicens : «Adiuro te per Iesum Deum tuum, ne immittas has feras in me ut devorent me, domine mi S. Apa Sarapion». Beatus vero misertus est eius, imperavit leonibus, *et* recesse- 5 runt ab eo. Statim D homines e turba crediderunt in Deum, clamantes, *ac* dicentes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte»; atque regem et praesidem exsecrabantur. Praeses iussit eos a militibus extra civitatem duci, *et* caput eorum auferri. Ita martyrium suum consummarunt die XXIII^a^ mensis tōbi, coronam incorruptibilem in 10 aeternum recipientes.

Respondit praeses, *et* ait ad beatum : «O Sarapion, ego adlaboravi ut parcerem tibi, cum tu me contemnas». Praeterea iuravit praeses dicens ei : «Per Romanorum potestatem! curabo ut ad pagum tuum ducaris, ibique contumeliis affectus interficiaris. Timeo enim sen- 15 tentiam in hac civitate adversus te ferre, ne forte audiat rex, *et* tui causa odio me habeat, nam magna te prosequitur dilectione». Iussitque praeses beatum in carcerem duci usque mane. Cum autem in carcerem ductus fuisset, *ac vidisset fratres suos, Apa Isidorum, (* p. 84.) et A. Ermē, amplexatus est eos et omnes fratres singulos, collocutus- 20 *que* est cum eis de omnibus quae sibi acciderant.

Dum autem B. Apa Sarapion colloqueretur cum fratribus, ecce Salvator stetit in medio eorum, amplexatus est eos, dedit illis omnibus pacem, *et* ait ad A. Sarapionem : «O Sarapion, dilecte mi, scio te omnem voluntatem meam fecisse. Ecce nunc sententiam in 25 te ferent, ducent te in pagum tuum, ut caput tuum auferant. Verumtamen ne timeas, dilecte mi, ego enim tecum sum corroborans te quocumque ieris. Iam tres coronas tibi paravi; alteram ob labores, quos in urbe Antinōū perpessus es propter nomen meum sub Ariano praeside; alteram ob pagum tuum, quem dereliquisti peregrinus 30 factus, et pecunias atque possessiones universas, quibus renuntiasti propter nomen meum; alteram ob martyrium tuum, quod consummabis. Cum in pagum tuum ductus fueris, ego illusionem dabo hominibus, quos Arianus tecum missurus est, donec ad pagum tuum deducaris in pace. Erit tibi topos in Panephrē ob preces tuas quae 35 ibi factae sunt; alter in ipsa domo tua, ob pacem meam atque benedictionem meam. Pax et benedictio mea manebunt in topos tuo in perpetuum, quia dilectus mihi, et Patri meo ac Spiritui Sancto factus es. Quicumque in topos tuo ministraverint, curabo ut *archangelus (* p. 85.)

Michael ministret eis omni tempore. Nomen tuum et martyrium tuum in domo regum terrae celebrabuntur propter fortitudinem tuam, quam manifestasti coram Ariano praeside. Quicumque venerint ad topos tuum absque duplicitate cordis, quodcumque meo et Patris 5 mei nomine petierint, fiet eis. Et angeli mei omnes praestolantur diem, qua oeconomiam tuam absolves, ut una tecum in caelorum regno laetentur. Dies illa, qua martyrium tuum consummabis, est XXVII^a^ mensis tōbi. Hic mensis est quo baptizatus fui a Iohanne Baptista in Iordane flumine. Et filii tui, qui nomen meum per te 10 confessi sunt, concives tui erunt in caelesti Ierusalem».

Et ait Apa Sarapion ad Salvatorem : «Domine mi, volo postulatum rogare te». Dixit Salvator Apa Sarapioni : «Dilecte mi, quod vis postula, *et* fiet tibi; scio enim postulatum tuum, quod me rogaturus es». Dixit ei B. Apa Sarapion : «Volo, Domine mi, ut gratia tua sit 15 in topos meo et loco, quo corpus meum ponetur, quemadmodum mihi dixisti, Domine mi. Si quis quolibet morbo laborans topos meum petierit cum oblatione in manu sua, et lychnis, et thure, *ac* posuerit ea super fossam[1] meam, et abluerit se, sana eum ab omni infirmitate, sive febri calida aut frigida(?) *laborantem*, sive 20 consumptum, sive capitis dolore, sive *conturbatione *mentis*, sive dae- (* p. 86.) moniacum[2], sive caecum, sive claudum, sive surdum, sive qualibet laborantem infirmitate, miserearis eorum omnium, Domine mi Iesu, et sana illos». Dixit beato Salvator : «Omne quod postulasti a me, perficiam. Ego ponam archangelum Michaelem ministrantem 25 in topos tuo, ubi corpus tuum ponetur; ac in loco ubi corpus tuum inventum fuerit, curabo ut sanationes multae fiant, ponamque ibi benedictionem meam in perpetuum».

Haec autem Salvator cum dixisset Apa Sarapioni, eum confortans, lux orta est : eum amplexatus est Salvator, pacem dedit ei, *et* abiit 30 sursum ad caelos in gloria.

Post haec vero praeses misit ad carcerem, iussit ad se adduci B. Apa Sarapionem; *et* statuerunt illum coram eo. Statim scripsit sententiam eius, *et* tradidit eam Orioni cursori, et Ermē militi, dicens eis : «Sumite vobis quattuor alios milites, deducite impium hunc 35 ad pagum suum, ibique eum excruciate, contumeliis eum afficientes, postea revertimini». Illi autem fecerunt ut sibi imperaverat. Liga-

[1] Sepulcrum; Anglice «grave». — [2] Ad litt. : «filium daemonis». Cf. syriaca composita nomina cum ܒܪ.

runt B. Apa Sarapionem, navi imposuerunt eum, *ac* septentrionem versus in flumine profecti sunt. Cum autem factum esset vespere, appulerunt ad pagum iuxta flumen *situm* ut ibidem dormirent. Bonus vero Deus decepit (?) sensus eorum, ita ut nescirent quo ambularent, donec pervenerunt Panephōsi in nomo *Nimeššōt, et hac ipsa nocte ad pagum appulerunt.

Mane autem consurgentes, huc et illuc respexerunt; putabant se esse in loco, ad quem vespere appulerant. Adhuc autem cogitantibus, ecce vox de caelo venit, dicens : «O Sarapion, dilecte mi, hic nequaquam est pagus ad quem *heri* appulistis, sed pagus tuus, locus in quo corpus tuum ponetur. Efficiam ut benedictio ac pax mea sint in topos, ubi corpus tuum ponetur. Efficiam *quoque* ut multae sanationes fiant omnibus ad topos tuum venientibus. Efficiam ut et alius magnus benedictionis[1] dies festus sit in topos, ubi corpus tuum ponetur : dies illa erit VIII^a^ mensis thōūt, praeter diem qua martyrium tuum consummabis, quaeque XXVII^a^ mensis tōbi est».

Hac voce audita, jussit Orion cursor educi ex arca navis B. Apa Sarapionem; *ac* sanctum caput eius abstulerunt. Et exuit se Orion cursor una veste sua lintea, ex eis quibus erat indutus, *et* curavit ut corpus B. Apa Sarapionis honorifice involveretur in ea. Invocavit eum Orion cursor, dicens : «Memento mei, pater mi, S. Apa Sarapion, in loco ad quem ibis».

Omnes autem, qui martyres fuerunt per S. Apa Sarapionem, animae IV milia et CCLXII sunt, quae incorruptibilem acceperunt coronam in regno Domini, et Dei, ac Salvatoris nostri I. *Christi, per quem omnis gloria, et honor, et adoratio decet Patrem una cum eo, et Sp. sanctum vivificantem, atque consubstantialem illi nunc et semper et in saeculum saeculorum omnium. Amen.

Benedictio S. Apa Sarapionis sit cum omnibus nobis in perpetuum. Amen. Fiat. Amen.

Domine, da requiem infimo Chaēl (Michael) Piscelos (?). Amen.

Deus miserere peccatoris Isaac Psalmodos[2]. Amen.

[1] ἁγιασμος. — [2] ψαλμωδος.

V

MARTYRIUM, QUOD SANCTUS AC DOMINI NOSTRI I. CHRISTI MARTYR, B. APATIL, NOBILITER CONSUMMAVIT DIE XVI^a^ EPĒP, IN PACE. AMEN.

Factum est, in regno Diocletiani regis impii, anno tertio regni eius, magnam excitavit *ille* persecutionem[1] in omnes christianos, universo orbe[2] degentes. Multi pro nomine Domini nostri I. Christi certarunt, ac magna fiducia resurrectionem Christi, eius ad caelum adscensionem, atque ad dexteram Patris sessionem adserebant, coronam confessionis adepti a Domino nostro et Salvatore I. Christo.

Hic igitur, aio impium regem Diocletianum, ad omnes suae dicionis locos scripsit edictum[3], cuius exemplar ita erat : «Autocrator Caesar Diocletianus, universis orbis populis, qui in dicione regni mei sunt positi, deorumque providentia vivunt, salutem. Quoniam vox ad aures meas perlata est de christianis quod unum Iesum colant, caeteros vero deos spernant, maximeque Apollinem, orbis servatorem, qui nobis victoriam semper dat, nunc igitur praecipio eis *ut huiuscemodi abiiciant inanitates, ac deos servatores, qui regibus victoriam, cunctis autem vitam praebent agnoscant. Qui non obtemperaverint edicto[3] nostro glorioso, quod senatus gloriosus promulgavit, praecipio archontibus singularum regionum a magna Roma usque Aegyptum, et Pentapolim, et Africam, et Marēs magnam, a Lybia usque Aethiopiam, ut omni poena absque indulgentia in eos animadvertant. Si poenituerint parcatur illis; si autem in sententia, quae ipsorum est, perduraverint, autoritas nostra mandat ut post omnigenos cruciatus poenae gladii tradantur, eorumque corpora igne comburantur. Haec magna in deos veneratione peragentes beneficia multa ab eisdem recipietis, quorum providentia vivatis; nos autem et valemus».

Hoc edictum[4] igitur missum fuit in Aegyptum ad Armenium comitem Racoti per veredarium quemdam, nomine Dionysium. Armenius comes acceptum illud osculatus est; arcessivit Arianum praesidem, et Ammoniun reparium, cum magna militum copia,

[1] διωγμος. — [2] οικουμενη. — [3] διαταγμα. — [4] προσταγμα.

et adduxit eos in civitatem Racoti. Quum cito advenissent, iussit legi eis edictum[1] regis.

His *verbis* igitur acceptis, milites multi cum Ariano praeside per universam dispersi sunt Aegypti regionem a Racoti usque Marēs magnam et Aethiopiam. Innumeros christianos apprehenderunt; 5 alios quidem *in ore gladii occiderunt, quos canibus, feris avibusque carnivoris escam proiecerunt; alios autem igne comburebant. Atque in hisce omnibus Deus ubique electos suos glorificabat; et prodigia absque numero per eos fiebant, dum consolarentur cultores Christi Dei, confunderent autem impios et eorum impietatem corri- 10 perent, *ostendentes eos condemnandos esse* in die criseos ac veri iudicii a Deo ferendi adversus animas omnes apostatas, quae eum dereliquerunt.

*p. 91.

Haec igitur cum ita essent, et non modica conturbatio magnusque timor cunctis christianorum animabus inesset, erat presbyter 15 quidam sanctus in Sabarū, exiguo pago Timūi Pšati, cuiusdam metropolis Aegypti, Sotericus nomine, timens Deum. Hic vero processerat in diebus suis *ac* iustus erat. Genuit autem duos filios, alterum nomine Apatil, Ioannem alterum, *qui* iusti erant, *et* Dei cultores. Sanctus vero Apatil pulcher erat adolescens, plenus fide 20 et Sp. sancto. Hic dum adhuc XVI esset annorum a patre invito abstractus fuit, *ac* miles factus *et adnumeratus* ad castrum, quod vocatur Babylon, ad meridiem civitatis On, apud tribunum quemdam, nomine Callinicum. Sanctus hic igitur Apatil vacabat exercitationibus *piis* multis, et asceticis laboribus, et plurimis precibus 25 nocturnis cum abundantibus lacrimis. *Insuper erga egenos atque orphanos misericordiae opera egebat quantum poterat.

*p. 92.

Cum autem Arianus praeses Babylonem appulisset, S. Apatil solus se inclusit in quodam loco, ac iugiter cum lacrimis, deprecabatur Deum ut dissiparet persecutionem, quae gregem eius 30 vexabat[2], et finem imponeret probationibus, Ecclesia eius ad pacem reducta. Cumque de more ministerium suum absolvisset, aliquantulum obdormivit. Tunc apparuit ei in visione Dominus, sub specie adolescentis pulchri, admodum splendentis, et dixit ei : «Quare obdormis, dum lucta extenditur? Surge, certa pro nomine meo, 35 ut a me coronam accipias, et certamine bonae confessionis egregie absoluto, adducam te ad Patrem meum, ei*que* te offeram donum,

[1] προσταγμα. — [2] Ad litt. : «quae *erat* super gregem suum».

et tu hoc modo in gaudio sis ineffabili. Ne timeas igitur cruciatus, nam ego tecum ero in omnibus afflictionibus tuis quas pro nomine meo suscipies. Verumtamen esto fortis athleta».

Cum autem haec dixisset ei Salvator bonus, *Apatil* non vidit 5 eum amplius, statimque mane factum est. Tunc praeses sedit pro tribunali in castro, et iussit universam ad se congregari cohortem. Hi autem cum advenissent, legit eis *edictum regis, ac praecepit ut deos adorarent. Ipsi autem omnes uno animo prostraverunt se, *et* adoraverunt idola. Sanctus vero Apatil in medio eorum stetit, 10 caput non subiecit idolis, nec adoravit ea. Hunc autem cum praeses stantem vidisset, iussit adduci eum ad se, et dixit ei : «Quare non adoras deos iuxta autocratorum edicta?» Dixit illi sanctus : «Ego colo Deum caeli, regem meum verum, totius creationis visibilis et invisibilis Salvatorem[1], in cuius quoque manibus halitus 15 uniuscuiusque est. Ipse transfert reges, tremendus iis qui praesunt, alitque totam creationem in charitate amoris sui hominum». Praeses haec audiens vehementer iratus est, et ait ad eum : «Ego puniam[2] loquacitatem tuam, o stulte».

*p. 93.

Tunc iussit eum vinci et a quattuor militibus supplantari (?), 20 qui sibi invicem illum impellebant, donec pluries cecidit. Sanctus autem clamavit sursum ad Dominum, dicens : «Domine mi, I. Christe, auxiliare mihi quia in te solum speravi». Haec cum dixisset, ecce angelus Domini tetigit eum, atque confortavit. Et vincula eius soluta sunt. Stetit coram praeside, cum nullus 25 dolor esset in corpore eius. Praeses autem frenduit dentibus in sanctum, volens eum occidere; *et in multos ea die tulit sententiam, qui coronam confessionis a Christo, vero eorum sponso, receperunt.

*p. 94.

Ad S. Apatil vero quod attinet, iussit perforari talos eius, 30 funesque in illos immitti, atque ita per loca lapidibus acutis[3] *consita* eum raptari, donec sanguis eius in terram copiose effluxit. Postea praecepit accendi flammam ignis in medio[4]; cumque flamma sursum valde adtolleretur, iussit ligari beatum, et in medio ignis adhuc ardentis eum sterni. Verumtamen Deus, qui respicit ago- 35 nem iustorum, ac sperantes in eum audire festinat, respexit agonem S. Apatil effecitque ut nubes eum circumdaret; cumque

[1] σωτηρ. — [2] Ad litt. : «docebo». — [3] Italice ad litt. : «per luoghi di pietre acute». — [4] Videtur aliquid deesse.

copiosum imbrem defluere fecisset, statim ignis extinctus est. Ecce autem vox Domini facta est ad B. Apatil, dicens : «Viriliter age et roborare, ego enim vere tecum sum liberaturus te, neque te derelicturus». Cum vero B. Apatil hanc vocem audisset, virtus Domini addita est ei, et illico dolores, qui erant in eius corpore, desierunt, 5 et in hoc stabat coram praeside, cum nulla corruptio in eo esset. Turbae autem, cum vidissent hoc prodigium, clamarunt, dicentes : «Magnus est christianorum Deus, et unus est Deus B. Apatil». *p. 95. Praeses vero, *turbarum clamore audito, beatum in carcerem duci iussit, donec consilium de eo caperet. Sanctus igitur ductus est in 10 carcerem.

Dum in eo loco positus erat, virtutes atque portenta non pauca operabatur in carcere velut unus e sanctis Christi apostolis : etenim infirmos sanabat, eiiciebat daemones, multasque alias cuiuscumque modi infirmitates *sanabat*, virtute Domini nostri I. Christi, quae 15 in eo erat.

Cum fama eius pervenisset ad praesidem de virtutibus, quas operabatur, vehementer iratus est, et ait ad optimates suos qui circumdabant eum : «Quid faciemus huic mago Apatil? ecce enim adhuc modicum trahet omnes ad se ob magias quas agit». Respon- 20 derunt optimates eius, *et* dixerunt ei : «Dominus noster praeses, ne excruciemus eum hic, secus universa turba sequetur eum; decipiuntur enim magiis quas ille agit. Verumtamen dominus noster mittat eum in Peremūn ad Pompium praesidem; ibique excrucietur. Nos vero ne faciamus id hoc loco, ne universa turba cum 25 eo pereat».

Praeses autem Arianus scripsit Pompio, praesidi Peremūn, epistolam, cuius forma hoc modo erat : «Arianus, praeses Thebaidis, Pompio, praesidi Peremūn, salutem. Iussa autocratorum *p. 96. sequentes oportet *nos omne ministerium perficere eis, diisque 30 gloriosis, ut eorum providentia vivamus, gloriamque ab illis recipiamus. En igitur iuxta edictum nostri *autocratoris Diocletiani misimus ad te Apatil, militem castri Babylon, reum declaratum. Cum eum invenerimus non obtemperantem mandatis regis nostri, hominum amatoris, et gloriosi senatus, deceptum christianorum 35 errore, *ac* colentem illum qui dicitur Christus, magnis quaestionibus eum inquisivi, ac misi ad eam, quae tua est, potestatem, ut publice audias eum, atque in eum sententiam feras iuxta leges regales. Vale in omni deorum gloriosorum honore».

Itaque S. Apatil constrictus vinculis ductus fuit in Peremūn, et coram Pompio praeside statutus a militibus, qui cum eo missi fuerant. Et tradiderunt illi Ariani praesidis scripta. Cum autem accepisset ea Pompius, ac legisset, iussit S. Apatil in carcerem 5 duci usque in diem crastinum, quia vespere factum fuerat.

Crastina autem die praeses praecepit ad se adduci S. Apatil. Statim officiales eum vinctum coram praeside statuerunt. Ait ei praeses : «Tune es Apatil magus, quem optimus[1] Thebaidis praeses Arianus ad nos misit?». Respondit autem sanctus, *et* dixit ei : 10 «Utique, ego sum Apatil, at magus non sum; absit *mihi ut *p. 97. magus sim; sed ego christianus sum, servus Christi, veri dei». Ait ad eum praeses : «Si vis salvus esse, desere hunc errorem, cole veritatem, agnosce deos servatores, ut filius noster efficiaris, et obsequio tuo erga nos gratulemur». Dixit ei beatus Christi martyr : 15 «O dux iniquitatis, et tenebrarum suasor, socius perditionis, qui veritatem Dei non agnoscis, fili diaboli, inimice omnis veritatis[2], non te pudet suadere Christi famulis ut athei, et impii, ac praevaricatores, sicut tu, evadant? Audias igitur me : aperte christianus sum atque Deum christianorum colo. Exsecror regem eiusque 20 deos abominabiles, quibuscum vos in gehennam ignis aeterni proiiciemini cum daemoniis quae adoratis. Scriptum est enim : «Vermis eorum non deficiet, et ignis eorum non extinguetur[3]».

Tunc praeses, haec audiens, velut bellua furit, iussitque ei ungulas manuum ac pedum evelli, et oculorum eius pupillas erui. 25 Postea praecepit afferri acetum, et cinerem. Miscuerunt ea invicem; et iussit ea plagis eius infundi. Sanctus autem Apatil, cum in his magnis cruciatibus esset, oravit ita dicens : «Domine mi I. Christe, totius creationis salvator, qui salvas semper eos qui in te confidunt, *portus omnium qui vexantur, salus omnium qui opprimun- *p. 98. 30 tur, veni Domine, adiuva me, et eripe me de hac necessitate, in qua versor; ne gentes dicant : 'Ubi est Deus eorum?' Quia tu es, quem decet gloria una cum Patre tuo bono, ac Spiritu Sancto vivificante, nunc et semper, et in saeculum saeculorum omnium. Amen».

35 Cum dixisset Amen, statim angelus Domini tetigit eum, atque sanavit eum; membraque eius facta sunt ut antea[4], nec ulla

[1] κρατιστος. — [2] *Act.*, XIII, 10. — [3] Is., LXVI, 24. — [4] Ad litt. : «suo modo», i. e. modo quo naturaliter erant.

corruptio erat in eo. Praeses autem obstupuit, et ait : «Magnae sunt christianorum magiae». Turbae vero clamarunt, dicentes : «Non est alius Deus praeter christianorum Deum, I. Christum, Deum S. Apatil». Tunc praeses ait ad beatum Christi martyrem : «Modo obtemperabis mihi, o Apatil, *et* sacrificabis diis, ut te dimittam, et magnos cruciatus effugias». Dixit ei S. Apatil : «Scriptum est : 'Si castra[1] circumdederint me, non timebit cor meum; si proelium surrexerit adversus me, in hoc ego spero[2]'. Ideo non timebo tormenta tua, et minae tuae non poterunt separare me a charitate Domini mei I. Christi. Quod igitur tibi placet, fac mihi, o praeses». Ait ad eum praeses : «Ego puniam[3] arrogantiam tuam, o stulte, donec deos servatores agnoscas». Statim iussit eum equuleo suspendi **p. 99.* * *ac* cruciari, donec intestina illius nudarentur.

Sanctus autem, cum adhuc eius carnes una cum sanguine deciderent, in dolore magno valde fuit, ac deficiente anima eius in eo, clamavit dicens : «Exurge, Domine, adiuva me, quia propter te occidunt nos tota die, reputati sumus tanquam oves ad occisionem *assignatae*[4]. Verumtamen exurge, adiuva *me* et libera me propter nomen sanctum tuum, quoniam in te solo speravi.» Et qui dixit : «Adhuc te orante dicam adsum[5]» properavit exaudire servum suum. Statim angelus Domini ad eum venit *ac* sanavit eum : vincula eius omnia soluta sunt, et illico stetit ipse coram praeside, nec ulla corruptio in eo erat.

Tunc turbae, cum *hoc* vidissent, glorificarunt Deum, dicentes : «Non est *alius* Deus praeter christianorum Deum; anathema Diocletiano, eiusque idolis.» Praeses autem ira repletus ob turbarum clamores, ait ad sanctum : «Ego assabo te super lectum ferreum; videam num Iesus te liberare possit de manibus meis». Respondit ei sanctus : «Ipse liberavit me, et adhuc liberabit me; attamen scias formam (?)[6] irae tuae nullo modo me timore afficere posse; et ignis iste, quamvis temporarius, quo nunc me terres, omnino in memoriam revocabit ignem aeternum, quo **p. 100.* * ardebunt pater tuus, diabolus, et omnes iniqui, qui, sicut et tu, Deum non agnoscunt». Frenduit autem praeses dentibus, iussitque afferri lectum ferreum, ac sanctum super eum sterni; deinde praecepit ut ignem illi immitterent sub eo, oleum et adipem proiicientes in

[1] In textu est num. sing. παρεμβολή. — [2] *Ps.* XXVI, 3. — [3] Ad litt. : «erudiam». — [4] *Ps.* XLIII, 26. — [5] Is., LVIII, 9. — [6] σχῆμα.

ignem, quoadusque flamma valde adtolleretur, et iusti carnes adurerentur. Et a quattuor quaternionibus militum virgis flexibilibus caesus est; et in omnibus istis Deus servum suum protegebat, haud sinens in doloribus eum deficere.

Beatus autem Christi martyr, S. Apatil, dum adhuc ignis subter eum devoraret eum, ac inhumaniter caederetur, oravit ita dicens : «Deus qui sedes super currus Cherubim dum ipsi gloriam invisibilem et incomprehensibilem magnae divinitatis tuae indesinenter canunt; tu es firmamentum meum ex quo eram in ventre, et spes mea ex quo lac sugebam matris meae[1]; ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salvator meus, quoniam tu es protector meus, et auxilium eorum qui propter nomen sanctum tuum angustiantur. Tua est gloria, una cum Patre qui te genuit, ac Sp. sancto, qui vitam dat omnibus, nunc et semper et in saeculum saeculorum omnium. Amen».

*Cum autem haec dixisset, Dei virtute et repente adpositus est **p. 101.* sanus coram praeside, nec ullus dolor in eius corpore erat. Turbae vero, *id* spectantes, clamaverunt dicentes : «Benedictus es Deus, qui liberasti servum tuum Apatil de igne; unus est Deus christianorum, non alius praeter eum est».

Impius autem praeses velut bellua furit, pede terram plosit[2] et ait : «Ecce venit super te ignis durus; videam num Deus tuus de manibus meis te liberare possit». Tum iussit eum in fornacem proiici, eamque claudi; et igne succendit eam, atque ita effecit ut aleretur tribus diebus, ac tribus noctibus. Deus vero amorem servi sui Apatil respexit, haud sivit eum igne perire, ne athei, idolorum cultores, gloriarentur; etenim misit ad eum angelum suum, et ille flammam ignis excussit, effecitque ut fornacis medium instar ventus roris frigidi evaderet; et nullum dolorem attulit iusto.

S. Apatil autem, cernens hoc auxilium, quod sibi a Domino factum est, confessionem dedit Deo in similitudinem trium olim sanctorum, dicens : «Benedictus es tu, Domine Deus patrum nostrorum, ac magnopere benedictus; plenum est gloria nomen tuum in aeternum. Amen. Quoniam misisti angelum tuum, et liberasti servum tuum de igne, nec sivisti inimicos meos gaudere super me. *Propterea confitebor tibi in ecclesia multa, et in medio multitudinis **p. 102.* benedicam tibi, quia effecisti, Domine, ut gauderem super salutare

[1] *Ps.* XXI, 10. — [2] Italice ad litt. : «dette un colpo di piede in terra».

tuum. Et exultabo sub protectione alarum tuarum[1], quia tua est gloria in aeternum. Amen».

Et illico Dei Omnipotentis virtute ablatus fuit sanctus, adpositusque coram praeside. Cum vidisset eum, obstupuit praeses cum sociis suis, *et* ait ad sanctum : «Per deos! miror te adhuc vivere». Dixit ei sanctus : «Non a principio *hoc*[2] dixi tibi, ut servorum Christi constantiam experireris. Nam haec iugiter voluntas eius est, ut salvet credentes in eum». Dixit ei praeses : «Nequaquam his verbis credo : sacrificabisne, vel non? » Dixit illi sanctus : «Non sacrificabo; quod tibi placet, fac mihi». Tum impius praecepit sanctum in altum duci, ac vinctum in profundum maris proiici. Cumque proiectus fuisset in mare, Dei virtute ablatus est, et adpositus coram praeside, priusquam reversi cum navi fuissent qui illum in mare proiecerant. Praeses autem conturbatus est, et obstupuit. Et iussit eum in carcerem duci, quoadusque deliberaret quidnam ei faceret.

Erat vir quidam caecus in carcerem coniectus, qui nullum sui sanguinis[3] habebat. *S. Apatil, cum vidisset eum, posuit manum suam super oculos eius, signavit eum in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti; simulque ter sufflavit in faciem eius, *qui* vidit, ac voce magna clamavit : «Non est *alius* Deus praeter te, I. Christe, Deus S. Apatil martyris beati». (*p. 103.)

Ianitor autem, qui erat carceri praepositus, cum vidisset hoc magnum prodigium[4], obstupuit, ivit ad S. Apatil, procidit ante eum, osculatus est pedes et caput eius, dicens . «Pater mi sancte, fac mecum misericordiam, quia valde contristatus sum. Est mihi filia unigenita, quae ad dies suos partus pervenit, et septiduum parturit, infante in ventre eius impedito. Et medici plures, ac exorcistae incantatores adducti sunt, at eam sanare non potuerunt. Fac mecum misericordiam, ut ores ad Deum tuum pro ea, et credo quod a morte liberabitur». Ait S. Apatil ad patrem puellae : «Affer mihi nonnihil olei, *et* orabo super illud, ut tollas illud, puellam ungas, *et* Domini mei Iesu gloria manifesta fiat». Et statim pater puellae attulit ei oleum, *ac sanctus* super illud oravit, signavit illud signo crucis Christi. Et cum accepisset oleum pater puellae, attulit illud

[1] Oratio haec ex variis scripturae locis consarcinata est, scilicet : *Cant. Azar.*, II, 64; *Ps.* XXIX, 2; XXXIV, 18; LXII, 8. — [2] I. e. : te vivum remansurum. — [3] Ad litt. : «qui hominem non habebat». — [4] Ad litt. : «virtutem».

in domum suam, unxit puellam, *quae* facile peperit masculum, *et* vocavit *nomen eius Apatil, iuxta nomen sancti. Magnum gaudium factum est in domo parentum eius. (*p. 104.)

Post haec fama S. Apatil pervenit ad praesidem, *qui* valde iratus est, et cogitabat quidnam ei facturus esset. Dum autem haec cogitaret, ecce apparuit ei diabolus sub specie militis, *et* dixit ei : «Audi me, *et* loquar ad te ; etenim qualis sit christianorum virtus cognosco ego. Nunc ergo quaere tibi mulierem fornicariam, ornatu regum orna eam, coniice eam in carcerem cum illo, ut illum decipiat».

Praeses autem iussit adduci ad se mulierem fornicariam, *et* curavit eam vestibus eius *meretriciis* et pluribus ornamentis pulchris indui, et in carcerem ad beatum ingredi, cogitans se per eam deceptorum iustum, cuius puritatem angeli desiderabant. Cum ingressa esset ad beatum, *is* agnovit per Spiritum *quaenam esset*, et oravit Dominum dicens : «Domine mi, I. Christe, ne disperdas charitatem tuam qua me dilexisti». Mulier autem cum vidisset Dei gratiam, quae erat in vultu S. Apatil, procidit, adoravit eum, et pro salute sua deprecabatur eum. Cum ille multa ad salutem eius spectantia locutus fuisset, *mulier* *caelesti desiderio impleta est, atque ita recessit ab eo, cum pacta esset Deo servire, et desistere a pristinis ignorantiis suis. In hoc igitur statim ab omnibus se abscondidit, et facta est fidelis christiana, multos in timore Domini convertens. (*p. 105.)

Tunc praeses, cum haec cognovisset, iussit sanctum e carcere educi, et dixit ei : «Per deos! o Apatil, laboravi, et defeci tecum». Ait illi sanctus : «. . . . .[1] et noli laborare, o praeses, sed vel trade me gladio aut belluis, ut scias nullum horum a charitate Domini mei I. Christi me separare posse, ad quem ire festino, si forte quidem dignus efficiar ut recipiam bona aeterna, quae paravit diligentibus se». Dixit impius : «Non est mihi negotium cum bonis istis, de quibus loqueris; nam de his quidem turbas decipis, ne deos servatores agnoscant, qui veram vitam hominibus largiuntur, et pulchros alunt fructus ad voluptatem eorum qui credunt in eis. At ego animadversurus sum in te pro tuo erga deos ingrato animo, et postea dabo te escam feris, ut unusquisque sciat *se vivere* per deos tantummodo, qui fertilitatem in sinu terrae posuerunt, ad voluptatem et solatium hominum; disperdunt autem e terra stultos, et *qui* non gratias agunt pro eorum donis».

[1] Videtur aliquid deesse, vel redundat ⲟⲩⲟϩ in textu.

*p. 106. *Statim autem impius iussit sanctum devinci, pellem eius a capite usque pedes detrahi, et adhuc sanguine suo perfusum immitti in eum leaenam lactantem, ut nil, ait, de corpore eius relinqueret. Cum autem immisissent leaenam, *haec* irruit quidem in eum; cum vero pervenisset ad eum, lambit vulnera eius. Praeses 5 autem cum vidisset quod non devoraret eum, iussit amoveri illam ab eo. O qualis clamor fuit, qui factus est in illa hora a turbis Deum glorificantibus!

Praeses autem vertit se ad adsessorem[1] suum, *et* ait ei : «Quid faciemus huic mago? quia gloriosis regum edictis resistit, et diis 10 non sacrificat; imo confitetur : 'Ego christianus sum'». Dixit ei adsessor : «Dominus noster praeses, sententiam fer in eum, secus omnes nos decipiet». Praeses igitur sententiam eius ita scripsit: «Quoniam Apatil, inutilis miles, edictis autocratoris restitit, ac deos non adoravit, immo confessus est 'Ego christianus sum', prae- 15 cipio caput eius gladio auferri, secundum leges regales».

Sanctus autem cum audisset finem sententiae suae, exultavit in spiritu, cumque perductus fuisset ad locum quo erat consummandus, erat autem VII^a dies mensis emšir, rogavit milites, qui secum erant, ut dimitterent eum ut oraret. Cum vero illum dimisissent, 20 *p. 107. faciem suam ad orientem vertit, **et* oravit ita dicens : «Gratias ago tibi, Domine Deus, Salvator meus, quia me dignum doloribus tuis vivificis effecisti, ac tribuisti mihi pro nomine tuo benedicto mori. Deprecor te, Domine, ut in pace accipias ad te spiritum meum; ne imputes mihi ignorantias meas, sive quas agnosco, sive quas 25 non agnosco. Angeli, de tuis, pacifici comitentur me, ne vim afferant mihi tenebrarum potestates, quae in aere sunt, quae ad nequitiam festinant, et cupiunt infestare iter meum ad te. Domine Deus meus, qui tribuisti mihi huius vitae mare feliciter pertransire per constantiam tuam et virtutem tuam, quas mihi largitus es, ut reges 30 confunderem, nomenque tuum coram praesidibus ostenderem, da mihi insuper modo, here mi, ut aeris stadium absque periculo transeam, et ad portum charitatis tuae absque timore adpellam, atque ita apprehendam te, quem dilexit anima mea, et complectar te, qui me victorem effecisti, recipiamque a te confessionis coronam, et ita 35 cum sanctis tuis martyribus gaudeam; quia tu es quem decet gloria ante omne saeculum, una cum Patre tuo bono ac Sp. sancto vivifi-

[1] συνκαθεδρος.

cante, nunc et semper et usque in saeculum saeculorum omnium. Amen».

Cum autem complesset Amen, *vox de caelo ad eum facta est, *p. 108. dicens : «Veni nunc, o beate Christi martyr, S. Apatil, requiesce 5 cum beatis omnibus, cum quibus aeterna bona recipies, ad requiem vestram in saeculis, quibus non est finis, in caelestibus[1]». Et cum haec audisset S. Apatil, exultavit spiritus eius in eo, et urgebat milites, dicens eis : «Quod vobis imperatum fuit perficite»; ac postea cum genua sua flexisset, collum suum protendit, iam silens. 10 Unus autem militum sententiam mortis (tabellam) ei abstulit, et cum ictum dedisset ei cum gladio suo beatum eius caput separavit. Atque ita vitam hanc post se reliquit, abiit ad Christum quem diligebat, *et* fuit cum eo in aeternum.

Cum autem milites recessissent, venerunt homines fideles, cor- 15 pus beati martyris Christi, S. Apatil, induerunt, sepelierunt illud digne et honorifice, *et* posuerunt illud iuxta corpus aliorum martyrum beatorum, qui ante eum consummati fuerant.

Post haec cum audisset Sotericus, pater sancti Apatil, quod vitam hanc absolvisset, convolavit ipse et filius suus Iohannes, attulit 20 corpus B. Apatil in Sabarū, pagum suum; ac ubi tranquilla tempora nacti sunt, aedificaverunt ei topos decorum, *et* in eo corpus eius beatum posuerunt die XVI^a mensis epēp. Ibi prodigia magna et multae sanationes facta sunt ad gloriam Triadis beatae, ad honorem autem beati martyris *Domini nostri I. Christi, per quem *p. 109. 25 omnis gloria, et omnis honor, et omnis adoratio decet eum, et Patrem suum bonum, et Sp. sanctum vivificantem et consubstantialem illi, nunc et semper et in saeculum saeculorum omnium. Amen.

Benedictio S. Apatil sit cum omnibus nobis. Amen.

30 En metanoeam ago, domini mei patres; mementote discipuli indigni, *qui* pulvis et cinis *est*, ut Deus clemens misereatur eius. Amen.

[1] επουρανιον.

VI

*p. 110. **Martyrium athletae martyris Christi, Sancti Abba Paphnūti, quod consummavit die xx^a mensis Pharmūti, in pace Dei. Amen.**

Regnante Diocletiano, praeside Ariano eoque christianos inquirente, ut eos idolis sacrificare faceret, appulerunt ad civitatem quamdam, nempe Tentōri. Erat ibi quidam anachoreta, nomine Apa Paphnūti, de quo annunciabatur in universa illa regione quod vir iustus esset. Criminati sunt eum apud Arianum praesidem, valde eum accusantes, *et* dicentes : «Deos aspernatur, et regum edicta reiicit». Arianus autem valde iratus est ei, ac praecepit duobus centurionibus ut pergerent mane, *et* illum vinctum ad se adducerent. Apa Paphnūti vero nil harum rerum sciebat, et cum de more suo mane egressus fuisset nihil sciebat.

Apparuit ei archangelus Michael, et dixit ei : «Salve, Paphnūti, Christi bellator». Apa Paphnūti quoque salutavit eum *dicens:* «Salve, salve». Ait angelus : «Veni mecum, faciam ut tecti coronam imponas aedificio[1] tuo, quod ab adolescentia extruis. Ingredere cellam tuam, cinge te zona tua, et induere vestes tuas synaxeos, quia veni hodie invitare te ad thalamum domini tui in loco isto, ut maneas in numero domini tui; *iam enim accusarunt te apud Arianum praesidem quod christianus sis, et ecce ipse praecepit LXXX militibus ut conquirant te mane. Verumtamen confortare, ne timeas, ego enim sum archangelus Michael, qui fui cum patribus tuis. Ero quoque tecum. Dominus dabit tibi robur donec Arianum eiusque manufacta *idola* confundas». (*p. 111.)

Cum autem Apa Paphnūti audisset haec ab angelo, ingressus est cellam suam, cinxit se zona sua, atque indutus est vestimenta sua ministerii, scilicet tunicam suam, et linteum suum, et abiit gaudens velut qui ad convivium iturus est. Et angelus apprehendit manum eius, locutus est cum eo, ostendens ei mysteria caeli, donec pervenerunt ad flumen. Statim ac vero egressi sunt ad portum, Michael ostendit ei quidquid ei eventurum esset, et amplexatus eum abiit sursum ad caelos, oculis eius illum attonite respicientibus.

Arianus autem praeses e lusorio *navigio* suo adscendit, et iussit

[1] Ad litt. : «domui».

poni sibi thronum suum ad portum. Et veniebant ad eum singularum civitatum archontes, honorem illi tribuentes in litore. Et cum sedisset, nullum aliud negotium sibi constituit, praeter illud Apa Paphnūti. Vocavit autem LXXX milites, et misit eos ut arcesserent eum. Ipsi vero fecerunt iuxta mandatum praesidis.

Apa Paphnūti autem cum egressus esset ambulans *ad portum summo mane abiit ad Arianum praesidem, *et* dixit ei : «Ego sum Paphnūti, quem quaeris; ne fatiges milites tuos ut eant quaerere me. Tu quidem habes milites tuos ad colligendos tibi christianos, ut eorum sanguinem effundas, nos autem habemus angelos Dei, qui ad caelorum regnum nos colligunt». Arianus autem intuitus in eum, ait ei : «Tune es Apa Paphnūti apostata, qui leges regum transgrederis?» Respondit *ille :* «Profecto ego sum». Dixit ei Arianus : «Tu ita plane[1] atheus es?» Et dixit ei Apa Paphnūti : «Ego atheus non sum, sed servio Deo iam inde a pueritia mea : vos quidem ethnici[2] dicitis : 'Multos deos habemus', propterea athei estis vos perfecte». Cum autem haec audisset Arianus, frenduit dentibus in eum, et ait illi : «Per deos gloriosos, Apollinem et Artemidem! male puniam te». Iussit igitur ferro manus eius, et pedicis[3] pedes eius constringi, et coniici eum in catenam[4] cum iis qui vincti erant. Tulerunt eum milites, *et* posuerunt eum in medio duorum latronum. (*p. 112.)

Cum praeses ingressus fuisset civitatem, sedit pro tribunali, nec aliud negotium, praeter illud Apa Paphnūti, sibi constituit, statimque quaesivit eum. Apa Paphnūti autem militibus iniquitatis eum urgentibus, sese adlocutus est dicens : «Paphnūti, Paphnūti, agnosce sortem quae tibi contigit, et *cogita Dominum quoque, I. Christum, in medio duorum latronum fuisse suspensum». Et paullatim incedebat ob pedicas[5], quae ei erant. Milites igitur adduxerunt illum super tribunal glorificantem Deum. Et illico soluta sunt vincula[6], quae erant manibus ac pedibus eius, factaque sunt velut aqua. Stetit coram praeside. (*p. 113.)

Respondit praeses, *et* dixit ei : «Paphnūti, quaenam est insania ista *tua*, quod non sis sacrificaturus? num vis male mori?» Respondit Apa Paphnūti, *et* ait ei : «Mors christianorum non est mors, sed vita aeterna. Ad sacrificandum quod attinet[7], non sacrificabo

[1] Ad litt. : «hoc modo omnino». — [2] *ελληνος*. — [3] *πεδες*. — [4] *συρα*. — [5] *πεδες*. — [6] Ad litt. : «ferra»; italice : «i ferri». — [7] Ad litt. : «sacrificare quidem».

hisce idolis daemoniis, sed soli Deo omnipotenti, *qui est* in caelis, et unigenito filio eius, I. Christo, Domino nostro».

Praeses autem Arianus iussit afferri rotam[1] ferream, et clibanum igne plenum, et ferventes sartagines oleo plenas, *ac* ea poni circa Apa Paphnūti, et dixit ei : «Nisi obtemperaveris mihi, excruciabo te 5 hisce omnibus». At nobilis Christi risit dicens : «O Ariane, putas[2] me formidaturum cruciatus tuos, *et* Deum abnegaturum? nequaquam, absit! dico tibi hos cruciatus haud superare labores, quibus probavimus nos, et exercitationes, quibus dedimus nos ad mortificandum[3] iis corpus nostrum inde a pueritia nostra. Si igitur Salva- 10 tor noster dedit nobis robur donec superavimus bella et persecutiones occultas, *dabit quoque nobis robur ut persecutionem tuam manifestam nunc superemus». Ait illi praeses : «Multa verba facis, Paphnūti; tribunal[4] haud tecum patientiam habebit».

*p. 114.

Et iussit praeses eum equuleo[5] suspendi ut excruciaretur, donec 15 intestina eius effunderentur, et corpus eius totum sanguine perfunderetur[6]. Ille autem nobilis oculos suos sursum in caelum levavit, et oravit dicens : «Domine mi, I. Christe, non effugio dispositionem tuam, paratus enim sum pro nomine tuo mori; sed rogo te, ne sinas me mori modo, donec Arianum eiusque manufacta *idola* 20 confundam». Statim vero angelus Dei ad dexteram illius stetit, et extendit manum suam, tetigit intestina eius, ea in ventrem eius coniecit iterum, et signavit eum, *ac* ab equuleo deposuit eum, nec ulla laceratio in eius corpore erat; sed sanus erat tamquam si nullo modo excruciatus fuisset. 25

Militum autem, qui eum excruciabant, nomina haec sunt : Dionysius et Callimachus. Et statim ac viderunt prodigium quod factum fuerat, crediderunt. Illico irruerunt super tribunal, ruperunt cingulum, *et* proiecerunt illud ante praesidem, clamantes ob Christi *amorem, ac* dicentes : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte». Ait 30 illis praeses : «Quidnam vidistis *quod* insani facti sitis? etenim contemnitis tribunal, deos abiicientes. Dicite mihi, quidnam vidistis?» Et dixerunt *ei milites una voce : «Quod vidimus non poterimus ostendere tibi; scriptum est enim in libro christianorum : 'Ne des sanctum tuum[7] canibus, neque proiiciatis margaritas vestras ante 35

*p. 115.

[1] τροχος. — [2] Ad litt. : «dicis». — [3] Ad litt. : «occidendum». — [4] δικαστηριον. — [5] ερμηταριον. — [6] Ad litt. : «inebriaretur». — [7] Sic ms.

porcos[1]'; tu enim peregrinus es mysteriis vitae». Ait illis Arianus : «Comparatis me canibus et suibus». Ipsi autem dixerunt ei : «Equidem illi honorabiliores te sunt; omnia enim animalia muta natura sua ipsa dant gloriam Deo, tu vero contemnis eum, et ab- 5 negas eum». Arianus autem iratus est eis; et cum eorum sententiam tulisset, ducti sunt extra civitatem, et caput eorum ablatum est. Consummarunt martyrium suum, et abierunt ad caelos in gloria.

Surrexit autem praeses, *et* abiit manducare. Iussit A. Paphnūti in carcerem duci. Milites vero apprehenderunt eum, et in obscuram 10 cellam coniecerunt eum. Mane autem praeses non est recordatus eius interrogandi, sed negotiis regis attendebat, archontes adigens propter pecunias publicas[2]; cumque non possent eis satisfacere, iussit eos in carcerem coniici. Erant autem archontes XL homines.

15 Factum est autem in nocte qua in carcerem coniecti sunt, viderunt lucem magnam in toto carcere exortam, fulgentem instar solis in diebus aestatis. Et archontes vocaverunt militem, carceri praepositum, *et* dixerunt ei : «Cur *accendis ignem in carcere? ne forte vincti eum reperiant, carcerem comburant, effugiant, et 20 nos quoque periclitemur». Dixit eis miles : «Fratres mei, nunquam attuli ignem huc; at ego quoque obstupesco quare locus ita resplendeat. Ecce duobus iam diebus ex quo iste christianus, Paphnūti, huc introductus fuit, tenebrae non fuerunt in illo *carcere*, sed lux eius instar diei et solis fulget». Et cum audissent haec ar- 25 chontes, convolarunt ad cellam, in qua erat Apa Paphnūti, steterunt, *et* audierunt eum pro salute totius civitatis orantem. Et cum aperuissent ostium, viderunt manus eius expansas, quae erant ad modum lampadarum ignis ardentium; et amplexati eum, totam noctem transierunt vigilantes cum eo.

*p. 116.

30 Mane autem facto, salutaverunt eum, et *ipse* ait illis : «Pax vobis; cur hodie hic estis?» Dixerunt ei : «Quia praeses inclusit nos ob pecunias publicas *deficientes*». Respondit, *et* dixit eis : «Filii mei, si has pecunias publicas hac vice perfeceritis, nonne iterum vobis *eae* imputari poterunt?» Dixerunt ei : «Certe». Et ait illis : 35 «Cur non obtemperatis mihi, ut credatis in Deum meum, confiteamini nomen eius, et hic moriamini, *ac ita* una vice deleantur peccata vestra, et chirographum iniquitatum vestrarum, et sitis in

[1] Mt., vii, 6. — [2] δημοσιον.

caelo, *et* scribantur nomina vestra in senatu[1] beatorum?» Omnes una voce responderunt : «Omnes nos corda nostra damus tibi, et omnes Deum tuum confitebimur. *Forte quidem occasio haec facta est nobis in testimonium[2] usque in aeternum». Respondit, *et* dixit eis : «Filii mei, surgite, iam enim nomina vestra scripta sunt in libro vitae».

*p. 117.

Egressus est autem de carcere, archontibus post eum ambulantibus; ascendit prior super tribunal, *et* ait : «Tribunal, tribunal, venio iterum ad te! O Ariane, tu cum Apolline tuo lapideo, ego autem cum Domino meo, I. Christo». Arianus vero iussit eum comprehendi; et milites irruerunt volentes illum apprehendere. Illico invisibilis factus est eis, et nescierunt quo abiisset.

Archontes autem steterunt super tribunal, *et* clamarunt : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte». Arianus vero cum vidisset eos, turbatus est, *et* ait eis : «Quidnam accidit vobis? num irati estis quia vos contempsi, proieci vos in carcerem, despexi dignitatem[3] senatus[4] vestri, et vos *ideo* execrati estis vitam vestram?» Et dixerunt ei archontes una voce : «Nihil nobis et tibi; verbis, quae loqueris, non obtemperabimus, cum nos quoque velimus vitam hanc temporalem abiicere, ut acquiramus nobis vitam aeternam. Vis autem scire quod ita *res se habeat?* Sume ergo tibi omnes substantias nostras, et facultates nostras, et pecunias nostros, ut earum dominus sis. Ad uxores vero nostras et filios nostros quod attinet, qui inter eos diligit Dominum veniet ad nos». Ait eis praeses : «Quaenam est dementia ista? utinam profecto sanari possitis a magia *apostatae Paphnūti!» Dixerunt ei archontes : «Sile, quia Dei hominem blasphemas». Iratus est autem illis praeses, *et* tulit eorum sententiam, ut igne comburerentur. Et ducti sunt in desertum locum. Fossa excavata est *et* igne repleta, *ac* in eam coniecti sunt, et martyrium suum consummarunt.

*p. 118.

Apa Paphnūti autem procul ab eis stetit; vidit angelos Dei supra ignem stantes, excipientes animas unam post aliam, singulas alios aliis tradentes, *ac* sursum eas ad aeones[5] caelestes perducentes. Et combusti sunt igitur ii quadraginta in illa die, et martyrium suum consummarunt, coronam adepti incorruptibilem in caelesti Ierusalem, civitate iustorum.

[1] βουλη. — [2] Scil. : «pro nobis apud Deum» (?). — [3] αξιωμα. — [4] βουλη. — [5] εων.

Apa Paphnūti vero rursum in civitatem adscendit : vidit cuiusdam divitis ostium apertum, et ad illud incessit, *et* ait ostiariae : «Filia mea, da mihi bibere paullulum aquae». Illa respondit, *et* dixit ei : «Ingredere pater mi beate»; agnoverat enim esse Apa Paphnūti; quia cum longo tempore in vita anachoretica perseverasset, multis fortitudinem eius enarrantibus, propterea puella salutavit eum valde et ingressa *domum* nuntiavit dominae suae, *et* ait illi : «Domina mea, egredere ut videas Apa Paphnūti, Dei electum, qui mirabilis est apud praesidem».

Surrexit autem domina eius, cucurrit ad ostium[1], vidit Apa Paphnūti instar angeli *Dei stantem, et cecidit in faciem suam, *et* adoravit eum, dicens : «Equidem magna gratia contigit mihi hodie, quia honorasti me valde, *et* intrasti sub tectum domus meae». Et introduxit eum in domum, et stravit ei cubile argenteum. Ipse autem risit, *et* dixit ei : «Filia mea, quamnam utilitatem afferent vobis argentum hoc, et hoc aurum?[2] . . . . .

*p. 119.

[1] πυλων. — [2] Reliqua desiderantur.

VII

*p. 120. **Martyrium athlophori strenui, ac Christi martyris, S. Apa Epime de Pancōleus, in nomo Pemǧe, qui agonem suum beatum absolvit die viii[a] mensis epēp, in pace Dei. Amen.**

Factum est autem in regno Diocletiani, regis impii ac transgressoris, diabolus errare fecit cor eius a Deo caeli, ob transgressionem quam fecit Gaius archiepiscopus, qui pecuniis acceptis dimisit Nicomedem, Saporis Persarum regis filium, ac iureiurando falso asseruit eum mortuum esse. Et rex iussit afferri sibi asphaltum atque picem, ea*que* usquedum aestuarent calefacta eius faucibus infundi, donec mortuus est.

Post haec sumpsit aureos *nummos*, statuas aureas lxx confecit, vocavitque eas deos. Primum quidem appellavit Apollinem, et *alios* Iovem, et Serapidem, et Athenam, et Artemidem, reliquosque deorum singulos iuxta nomina eorum.

Et locutus est Diocletianus rex cum omnibus optimatibus suis, dicens : «Audite me, o amici mei, ut loquar vobiscum». Ipsi autem dixerunt : «Loquere, dominus noster rex». Ait illis : «Vos scitis regem mendacium non dicere. Hac nocte», inquit, «cum recumberem, accidit ut veniret ad me magnus deus Apollo, et reliqui *p. 121. *dii cum eo; et locuti sunt mecum dicentes: 'Ecce nos sanavimus te, ac victoriam in bello tibi largiti sumus : tu vero ex parte tua glorifica nos in regno tuo'. Quid ergo vultis ut faciam eis?»

Respondit Romanus stratelates, Apa Victoris pater, *et* ait ad regem : «Audi me, rex, ut loquar tecum. In diebus Pharaonis, Aegypti regis, confidebant in diis, quos ille fecerat, quemadmodum et adhuc fit. Surgamus et nos, o rex, scribamus edictum ad Aegyptum, a Romania, urbe principe, usque ad ultimam civitatem Aegypti superioris[1], quae est Pilaḥ (Philae) iuxta Aethiopes. Et scribe Armenio, duci Racoti, et singularum civitatum praesidibus, ut universas evertant Ecclesias nomini Christi aedificatas, extruantque templa per civitates singulas atque pagos, et iubeant omnes archontes comprehendere presbyteros, et diaconos, et anagnostas, et cunctos singularum civitatum pagorumque optimates, atque proselytos, iisque praecipiant ne ullo loco omnino sacrificium[2]

[1] μαρης = auster. — [2] προσφορα.

offerant; comburant eorum libros. Sacerdotes quoque singularum civitatum et pagorum templa aperiant, ex aerario regis impendant eis, adorent deos, eisque tus offerant. Qui igitur inobedientes fuerint, ac deos non adoraverint, in ore *gladii, et igne *p. 122. variisque cruciatibus perimantur. Et apprehendant omnes sacerdotes, ducant eos Racoti, ut deos coram duce adorent. Quo pacto faciant eorum terram vectigalibus exemptam, ac tributum agrorum suorum remittatur eis». Et placuit verbum regi, *qui* ait : «Per magnum deum Apollinem ita faciam».

Hoc est primum exscriptum[1](?) *decreti* quod factum est adversus omnes beatos. Surrexit summo mane, die i[a] mensis pharmūthi, in annum novum transeunte, scripsit huiuscemodi edictum, dicens : «Ego sum Diocletianus rex; scribo universo regno meo, et omnibus qui in dicione mea sunt positi, sive *sit* stratelates, sive miles, sive paganus, sive quivis alius dominationi meae subiectus : ne audiam hoc nomen, Iesus, in ore eorum, verumtamen deos adorent, eisque tus et sacrificia offerant». Et fecerunt ita.

Erat adolescens miles, cuiusdam stratelates filius, *qui* cum vidisset scripta hoc modo exarata, clamavit *ac* flevit dicens : «Domine mi, I. Christe, adiuva me, accende lucernam quae intra me est, ut ad regem hunc atheum loqui valeam, qui vituperat nomen sanctum tuum». Cum autem hoc dixisset, cingulum suum illico exuit, festinanter ingressus est ad regem, *et* stetit coram eo. Dixit illi rex : «Quisnam es tu hoc modo?» Dixit : «Ego sum Christodorus, filius Basilidis stratelates». Ait illi rex : «Quare adstas coram me *non accinctus? patris tui dignitatem perdidisti». Dixit ei *p. 123. adolescens : «O rex impie, ego ex hac hora non sum amplius miles tuus, quia diabolus in te radicem egit, o impie. At confitebor Dominum meum, I. Christum, qui creavit caelum et terram, et mare, et flumina, et omnia quae in eis sunt; et ipse me quoque creavit *ac* halitus meus in eius manibus est».

Cum autem Diocletianus haec audisset ab adolescente, iratus est valde, illico surrexit, arripuit gladium de manu cuiusdam militis, adolescentis ventrem percussit, *et* discidit illum. Et iussit milites in eum congregari, *et* membratim eum concidere. Ita martyrium suum consummavit in illa die in excelsum cum gaudio evolavit, et requievit cum omnibus sanctis, in pace Dei. Amen.

[1] ἀπογραφη; *sic* (ut videtur ex Lc., ii, 3; Eus., *H. E.*, vii, 2 : γραφη.

Postea praecepit rex aram accendi, ut ipse et universus exercitus eius tus diis offerrent. Et in die illa VI millia militum, et III myriades paganorum adoraverunt idola impura. Omnes homines qui erant in civitate, masculi et feminae, parvuli et adulti, XXIV myriades animarum, adorarunt. Et scripsit edictum, tradidit illud cuidam stratelati, nomine Dionysio; in Racoti ad Armenium ducem misit illud cum eo, hoc modo exaratum : «Ego Diocletianus rex scribo Armenio, Racoti duci. Quoniam dii immortales mihi *hanc dignitatem et victoriam in bello largiti sunt, mando ut evertas Ecclesias, ac templa ubique extruas a Racoti usque Sūan (Syenes), a Lybia usque Pentapolim, ut omnes adorent deos, eisque tus offerant. Qui inobedientes fuerint, et eos non adoraverint, praecipio tibi ut duris suppliciis animadvertas in illos, ac postea tradas eos gladio».

* p. 124.

Cum autem stratelates ingressus fuisset Racoti, tradidit scripta Armenio. Et cum *is* congregasset universos cives, legit eis scripta regis, et misit ea per totam Aegyptum. Allataque Pemğe tradita fuere Culciano praesidi, *qui* legit ea, *et* ita exarata invenit : «Quicumque inobedientes fuerint mandato regum, potestas tibi in eos data est ut interficias eos, vel Racoti ad me mittas eos, ut excruciem eos». Cum autem Deus voluisset electos suos probare, qui sunt Christianorum genus, ut gloria filiorum Ecclesiae patefieret, et pro nomine suo beato paterentur, *ac* regnum eius ingrederentur, quemadmodum ait beatus Paulus : «Ideo imposita est nobis tanta nubes testium[1]», propter hoc enim Deus, Pater Domini nostri I. Christi, voluit probare sanctos suos, quemadmodum scriptum est in Isaia propheta : «Quod si fuerint docibiles Dei *veniant ad me ut doceam eos[2]?», ita Deus egit; excitavit spiritum malum in corde Diocletiani, ut *is* famulos Dei et Christi martyres persequeretur, quemadmodum induravit Pharaonem ita ut ille persequeretur populum Israel, et ipse perderet eum in mari Rubro *et* populum suum liberaret. Ita egit rex impius, Deum et angelos eius ad iracundiam provocans, ut *Deus* perderet eum, beati vero haeredes fierent regni caelorum.

* p. 125.

Audite igitur nunc vos, cui datum est audire, audite vos, cui data doctrina est; quoniam scitis nil suavius esse hoc nomine, Iesus, et nil gloriosius hoc nomine, christianus. Erat autem

[1] *Hebr.*, XII, 1. — [2] Cf. Is., LIV, 13; Io., VI, 45.

vir quidam agricola[1], nomine Epime, degens in pago, qui dicitur Pankōleus, in nomo Pemğe. Et parentes eius christiani erant : nomen autem patris eius erat Elias, matris vero Sophia. Erat autem vir ille christianus iustus, recedens ob omni malo, sapiens, charitatis amator, primitias arearum suarum et omnium frugum suarum domo Dei dans. Et verba Scripturarum tamquam mel in ore eius erant, ac lucerna intra eum splendens. Conversatio eius semper in caelis erat[2]. Vir ille autem omni virtute Sp. sancti perfectus erat, *et* omnes diligebant eum ob bona *opera* quae agebat, ita ut *fama eius ad archontes et praesides pervenerit eum christianum esse : et diligenter inquisiverunt eum.

* p. 126.

Factum est autem, cum B. Apa Epime domi suae recumberet, vidit iuvenem splendentem supra se stantem, *qui* tetigit latus eius dexterum *et* excitavit eum. S. Apa Epime cum expergefactus fuisset, vidit virum splendentem supra se stantem *et* turbatus est. Et *ille* dixit ei : «Epime, aperi oculos tuos, ut agnoscas quisnam ego sim. Ego sum I. Christus, cuius stella in oriente refulsit; ego sum Iesus, cuius stellam viderunt magi, eum*que* adoraverunt; ego sum I. Christus, quem Maria genuit; ego sum I. Christus, corona martyrum. Oportet te multos cruciatus pro nomine meo accipere; et ego faciam ut nomen tuum universo orbe celebretur. Surge, vade ad praesidem, confitere nomen meum; ne timeas, quoniam ego tecum sum. Pacem quam dedit mihi Pater, quando ab eo processi, ego quoque do tibi». Cum autem Salvator haec dixisset ei, signavit illum, ne ullus cruciatuum corpus eius attingeret, *et* abiit sursum ad caelos, eum respiciente *Epime*.

Diluculo autem facto, surrexit S. Apa Epime, e domo parentum suorum egressus est, nec ulli suorum rem indicavit, ne prohiberent eum; sed ait suis : «Ad nundinas Pemğe hodie ire volo ut vaccam emam, quia vere ea indigeo». Dixerunt ei homines sui : «Vade *in pace, Dominus mittat angelum suum ante te, ut bene dirigat vias tuas». S. autem Apa Epime e domo sua egressus faciem suam ad orientem vertit, *et* oravit ita dicens : «Domine mi, I. Christe, fili Dei vivi, audi me hodie sursum ad te clamantem; nam tu es qui dixisti : 'Qui non dimiserit patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, aut uxorem, aut filios, aut agros, et tulerit crucem suam, ac sequutus me fuerit, non est me

* p. 127.

[1] Ad litt. : «agricola in agro». — [2] *Phil.*, III, 20.

dignus[1]'. Tu scis, Domine mi, me omne negotium et quidquid possideo abiecisse, ac sequutum te esse; tu quoque, Domine mi, ne claudas mihi portas iustitiae, verumtamen da mihi virtutem, Domine mi, ut iussum tuum impleam, nam tua est gloria et potestas cum Patre tuo bono, ac Sp. sancto in aeternum. Amen».

Cum autem haec dixisset, S. Epime signavit se in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti. Urbem ingressus est, audivit praesidem sedere pro tribunali iuxta tetrapylon, nonnullos christianos audientem, quorum nomina haec sunt : Pihop diaconus Canaš, et Apa Hōr Tōg̃ensis e nomo Pemg̃e, et Maximus presbyter Šenerō, et Pet̲hōš diaconus Terbensis, aliique christiani multi e nomo Pemg̃e. S. autem Apa Epime oculos suos in caelum levavit, *et* oravit dicens : «Domine mi, I. Christe, da mihi virtutem et fortitudinem, ut cum hoc impio praeside loqui valeam».

Dum haec diceret, ecce Abianus pronoētos[2] *circumspexit *et* vidit S. Apa Epime adstantem; venit in medium coram praeside, *ac* dixit ei : «Domine mi, praeses, en Apa Epime, qui caput est Pancōleus; ecce coram te adstat; modo veniat, *et* adducat ad te clericos pagi sui, et diaconos, et vasa omnia ecclesiae suae, et libros suos, et mensas suas, et calices suos, quemadmodum praecepit rex».

Statim praeses misit Theodorum cubicularium, *qui* illum super tribunal adduxit. Ait ad eum praeses : «Tune es Epime, qui caput es Pancōleus?» Dixit ei sanctus : «Utique ego *sum;* at Deus est qui caput omnium nostrum est». Dixit ei praeses : «Cuinam deorum confidis, Apollini, vel Iovi? unum horum elige tibi. *Ipse* te salvet». Dixit ei sanctus : «Horum nulli confido, sed confido Deo caeli, Patri Domini mei I. Christi». Ait ad eum praeses : «Mitte, adduc ad me presbyteros tuos, et diaconos tuos, et vasa altaris». Dixit ei S. Apa Epime : «Presbyteros quidem non habemus, sed circumeo singulos pagos ut inveniam aliquem, *qui* sabbato et die dominico det communionem nobis. Et vasa, quibus communicamur, sunt vitrea, nam nos pauperes sumus, in parvo *επιγιον* degentes». Ait ad eum praeses : «Epime, nequaquam mihi illudere poteris, etenim iam ostenderunt mihi dolum[3], qui est in te. Caeterum obtempera mihi, ne carnes tuas in acerbis cruciatibus perdas». Respondit *S. Apa Epime *et* ait : «Dominus

[1] Mt., x, 38; xix, 29. — [2] Provisor, procurator? — [3] Πλανη.

meus, I. Christus, iam ostendit mihi : 'Ne timeatis eum qui occidet corpus vestrum, animam autem vestram non possunt[1] occidere[2]'. Dixit ei praeses : «Vis ut carnem tuam perdamus?» Dixit illi sanctus : «Quod tibi placet, fac mihi; mecum est Dominus meus, I. Christus, qui dat mihi virtutem». Ait ad eum praeses : «Abscindam linguam tuam, ne iterum[3] proferas ex ore tuo hoc nomen, Iesus, coram me». Dixit ei S. Apa Epime: «Equidem dignus non es audire hoc nomen, nempe Domini mei I. Christi». Praeses autem iratus est valde, iussit novaculam tonsoris afferri sibi, eius linguam praecidi, et in carcerem detrudi eum, ut compedibus[4] constringeretur usque mane.

S. autem Apa Epime in carcere positus extendit manus suas, oravit in corde suo, et glorificabat Deum. Ecce archangelus Michael de caelo descendit, signavit os ac linguam eius; et locutus est *sanctus* benedicens Deum. Omnes, qui in carcere erant, audiebant eum benedicentem Deum. Crastina autem die praeses sedit pro tribunali, iussit ad se adduci S. Apa Epime, ut audiret eum. Cum autem praeses vidisset illum loquentem, miratus est. Ait illi praeses : «Epime, veni modo, sacrifica diis, ut dimittam te». Dixit ei sanctus : «Absit a me in aeternum ut deos tuos impuros adorem! sed adorabo Dominum meum, I. Christum». Praeses iussit beatum equuleo suspendi, *et* excruciari. Cum autem equuleo illum suspensuri essent, signavit se *in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti. Cum autem suspendissent eum, excruciarunt eum donec viscera eius et ossa eius nudata sunt. Cumque excruciassent eum, corpus eius madefactum est sanguine. Et suspensus equuleo levavit oculos suos in caelum, *et* ait : «Domine mi, I. Christe, adiuva me in hac hora».

Cum autem haec diceret, cor eius confirmatum est; et confortatus est, *ac* clamavit dicens : «Erubesce, impie impure, una cum rege tuo impio». De multitudine autem cruciatuum, quos attulerunt ei, ipse minime curabat. Et omnes cives pro eo clamarunt, exsecrantes Diocletianum eiusque idola impura. Praeses autem Culcianus iussit S. Epime in carcerem duci. Beatus vero cum esset in carcere deiectus erat ob multitudinem cruciatuum, quos ei attulerant.

[1] Sic. — [2] Mt., x, 28. — [3] Ad litt. : «priusquam». — [4] Ad litt. : «ligno».

Media autem nocte stetit supra eum beatus archangelus Michael, *et* ait ei : «Pax tibi, Dominus est qui misit me ad te ut sanem te». Extendit autem archangelus manum suam super corpus sancti, signavit eum, sanavit eum, et roboravit eum dicens : «Ne timeas, ego tecum sum donec agonem tuum absolvas». S. vero Apa Epime repletus est gaudio, totamque noctem egit orans, *ac* benedicens Deum, donec lux orta est.

Cum autem factum esset mane, praeses sedit pro tribunali. Praecepit ad se adduci *S. Apa Epime. Cum vero adduxissent eum, vidit eum praeses hilarem, velut qui e convivio egressus est; *ac* miratus est. Dixit *ei* : «Adhuc vivis? Equidem magnus magus es tu. Caeterum magias tuas desere, sacrifica diis regis, ne excruciem te». Dixit illi sanctus : «Quod vis, fac mihi; habeo Dominum meum, I. Christum, qui me corroboret in iis, quae super me adduces. Scriptum est enim : 'Confundantur omnes, qui adorant manufacta, qui gloriantur in idolis suis[1]'». Praeses autem iratus est valde, iussit ut eum super cathedram ferream sedere facerent, galeam igne candentem super caput eius ponerent et lampades ardentes sub lateribus eius. Postea praecepit duos clavos longos *atque* igne candentes afferri, *et* humeris (?) illius infigi, donec subtus ad cathedram, super quam sedebat, pervenerint. B. vero Apa Epime signavit se in nomine Patris, Filii, et Sp. sancti. Tunc galea facta est corona margaritarum electarum super caput eius, et lampades ignis retrorsum conversae sunt, *ac* portantes eas adusserunt. Et turba civitatis clamavit dicens : «Magnus est christianorum Deus, qui sanctis suis virtutem praebet; non sinemus ut hominem hunc iustum in civitate nostra perdas».

(* p. 131.)

Praeses autem, cum haec audisset, *timore civium correptus est, vertit se ad sanctum, *et* ait ei : «Adiuro te per Iesum, nomen in quo magias agis, dic ut lampades istae ignis non adurant carnifices[2], quia vere valde cruciantur». B. vero Apa Epime oculos suos sursum in caelum levavit, *et* ait : «Audi me, Domine mi, I. Christe; quia hora, in qua cruci suspensus fuisti, Iudaei te vexabant. Postea Patrem tuum bonum pro eis rogabas *dicens* : 'Dimitte illis[3]'. Nunc ergo, Domine, haec hora est, in qua nomen tuum in omni re glorificabitur».

(* p. 132.)

Haec autem cum dixisset, accessit ad carnifices, signavit eos in

[1] *Ps.* XCVI, 7. — [2] κεστωναριος. — [3] Lc., XXIII, 34.

modum crucis, *et* ait illis : «Dominus meus, I. Christus, faciat hunc ignem a vobis recedere». Cum vidisset praeses quod factum fuerat, obstupuit valde, *et* ait ad sanctum : «Nonne ostendes mihi quidnam sit hoc signum, quod super faciem tuam frequenter[1] ducis? Equidem magnus magus es tu; et neminem unquam vidi hoc signum agentem. Caeterum adiuro te per Iesum Deum tuum ut mihi veritatem ostendas». Respondit S. Apa Epime, *et* dixit ei : «Audi ut ostendam tibi. Hoc enim est signum, quod in facie primi hominis Deus posuit quando plasmavit eum, et hoc quoque est signum quod Dominus meus, I. Christus, dedit credentibus in eum, et in Patrem suum bonum, et in Sp. sanctum».

Tunc praeses vertit se ad adsessorem suum, *et* dixit ei : «Quid faciemus huic homini cum hac turba, pro eo clamante? Ecce non sinunt nos excruciare *eum in hac civitate». Dixit ei adsessor : «Audias me, sententiam fer in eum, mitte eum Racoti ad Armenium ducem, ut in eo loco illum excruciet». Placuit verbum praesidi, *et* scripsit ita dicens : «Ego Culcianus praeses Pemǧe, scribo Armenio Racoti comiti, dilecto meo fratri; salve! Significo tibi de scelesto hoc christiano, Epime, is est de Pancōleus in nomo Pemǧe; caput est sui nomi, et ei omnes obtemperant ob magica opera quae facit. Propterea civitatis incolae[2] non sinunt ut eum excruciem. En misi eum ad te, ut eum, prout meretur, corripias, si dominis nostris regibus non obtemperaverit».

(* p. 133.)

Et cum relationem[3] eius scripsisset, iussit manus illius post tergum devinci, et numellam[4] collo eius suspendi, et nasum eius perforari, vinculum[5] ei immitti, ac duci illum Racoti. Cum navi imposuissent eum, ferrum pedibus eius imposuerunt, coniecerunt eum in arcam navis, *ac* septentrionem versus Racoti navigarunt cum eo. B. vero Apa Epime afflictus corde est, sursum oculos suos in caelum levavit, dicens : «Domine mi, I. Christe, esto mihi auxiliator in omni via qua ducar».

Cum autem haec diceret, ecce Dominus noster, I. Christus, venit ad eum nubi splendenti insidens, Michaele ad dexteram eius, Gabriele ad sinistram eius adstantibus. Respondit Salvator, *et* ait ad Apa Epime : «Salve, electe mi, Epime! viriliter age, et confortare, quoniam ego *tecum sum in omni loco, ad quem duce-

(* p. 134.)

[1] Italice : «ogni poco». — [2] Italice ad litt. : «quelli della citta». — [3] αναφορα. — [4] Catenam? κολλαριον. — [5] Annulum? αλυσις.

ris. Ego sum Iesus, rex tuus, qui carnem ex Maria Virgine beata sumpsi. Efficiam ut nomen tuum toto orbe celebretur, signa magna et sanationes per te fiant, *ac* populi undique veniant ad adorandum super corpus tuum beatum». Salvator autem, cum haec dixisset, sursum ad caelos abiit in gloria. B. vero Apa Epime cum vidisset Dominum, cor eius laetatum est, *et* exultabat glorificans Deum.

Et repente navis Racoti appulit. Milites ascenderunt, quaesierunt Armenium ducem, *et* invenerunt eum in spectaculo agonis, quia dies natalis regum erat. Milites autem dederunt Armenio duci epistolam de B. Apa Epime, qui post eos ambulabat manibus a tergo devinctis, cum numella[1] collo eius, et vinculo[2] in nasu eius; *militibus* eum trahentibus. Et volebat *Armenius* audire eum in illa die; *sed* civitatis incolae prohibuerunt eum, dicentes : «Ne perdas[3] agonem, crastina die audies eum». Iussit illum in carcerem coniici.

Nocte autem cum in carcerem coniectus fuisset B. Apa Epime, erat ibi vir quidam daemone obsessus, *et* clamavit magna voce dicens : «Non iterum revertar ingredi in te, o Dionysi, Theodori domestici fili; o S. Apa Epime, ob metum Michaelis archangeli, tecum ambulantis, non potero stare in hoc loco». Et statim *daemon* allisit *hominem illum ad terram, *et* exivit ab eo. Cumque hominis cor firmatum fuisset, procidit ad pedes beati, *et* adoravit eum. Custos vero carceris, cum vidisset hanc virtutem quae facta est a B. Apa Epime, miratus est.

*p. 135.

Erat ei filia unigenita, utero gravis, quae pervenerat ad mensem suum partus, et tribus iam diebus erat parturiens, *ac* ad mortem usque defecerat. Cum vidisset pater quod factum fuerat a beato, procidit ad pedes sancti, rogans eum ut filiae eius succurreret. Dixit ei S. Apa Epime : «Affer mihi paullulum olei, ut orem super illud, *ac* gloria Domini mei, I. Christi, manifesta fiat». Vir autem attulit ei oleum, et sanctus oravit ita dicens : «Domine mi, I. Christe, miserere operis manuum tuarum quia tibi in omnia est potestas, ut nomen sanctum tuum glorificetur cum Patre tuo bono, ac Sp. sancto in aeternum. Amen». Cumque signasset oleum, iussit liniri puellam. Illico puella masculum peperit, et iuxta nomen sancti vocaverunt nomen eius Epime.

Post haec quidam oculis captus ad ostium carceris sedebat, eleemosynam petens a transeuntibus. Cum audisset virtutes, quae a S. Apa Epime fiebant, surrexit, ingressus est ad eum, rogans eum ut oculis suis lumen daret. S. vero Apa Epime vertit faciem suam ad orientem, *et* oravit ita dicens : «Deus, qui *aperuisti oculos caecigeni dum Bēthphagē ingressurus esses, et rursum dedisti lumen oculis duorum caecorum sedentium, *et* eleemosynam petentium, audi me quoque, Domine, miserere huius pauperis, da lumen oculis eius, quia in te speravit». Et cum signasset S. Apa Epime oculos eius in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti, illico aperti sunt oculi eius. Vir autem per civitatem totam egressus est, *ac* sancti famam evulgavit de virtutibus, quas in carcere agebat.

[1] *κολλαριον.* — [2] *αλυσις.* — [3] Italice dici posset : «non guastare, etc.».

*p. 136.

Iulius vero commentariensis habebat sororem virginem, nomine Eucharistiam. Diabolus invidit ei ob bona quae illa agebat; *ac* effecit ut habitaret in ea daemon, *qui* totum eius corpus torsit; et manus eius dextera cum pede eius dextero contracta erat ad eam. Totum corpus eius aruerat, *et* annis xiv in lecto decubuerat, nullo modo in pedes consistere valens. Iulius autem cum audisset virtutes, quas Deus per sanctum in carcere agebat, convolavit ad illum, rogans eum, *et* dicens : «Domine mi sancte, audivi virtutes, quas in nomine Christi agis. Est mihi quoque soror mulier[1], cui diabolus invidit ob bona quae ipsa agebat, *ac* totum corpus eius dira infirmitate perdidit. Iamque xiv annis lecto decumbit, in pedes suos haud consistere valens. Et adduxi ad eam multitudinem medicorum atque incantatorum, *sed* non potuerunt sanare illam. Si oraveris pro ea *ut Deus sanitatis gratiam ei conferat, quodcumque dixeris mihi, faciam. Si vis dimittam te, ut in domum tuam in pace abeas, usque tres libras auri solvam Armenio duci ut te dimittat a nobis; fac mecum gratiam».

*p. 137.

S. vero Apa Epime risu explosit, *et* dixit Iulio : «Nolo ut me dimittas, quia non est homo qui vim intulit mihi ut adduceret me huc, sed Dei mandatum est quod huc me adduxit. Caeterum opus pium[2] postulo a te, ut curam mei corporis geras, cum sententia in me lata fuerit, et in Aegyptum mittas illud ad sepulchrum parentum et omnium meorum». Dixit ei Iulius : «Hoc quidem paratus sum agere; at rogo te ut memineris mei in locis[2], ad quos ibis». Et aperuit os suum S. Apa Epime, *ac* benedixit ei dicens : «Deus,

[1] Cf. *ἀδελφὴν γυναῖκα*, I *Cor.*, ix, 5. — [2] Ad litt. : «bonum opus». — [3] *τοπος.*

Pater Domini mei I. Christi, benedicat tibi, Iuli, frater mi; fames ac pestis non sint in domo tua, et semen tuum supplicium[1] non videat in aeternum».

Cum autem beatus haec Iulio dixisset, ait : «Mitte, adduc sororem tuam huc, ut Dei gloria manifestetur». Statim misit Iulius 5 pueros suos, *qui* tulerunt sororem eius, adduxerunt eam, *ac* coram sancto posuerunt eam. Sanctus autem, sumpta aqua, oravit super eam, ita dicens : «Rogo te, Domine mi, I. Christe, a quo sanitas *p. 138. et vita sunt, audi me hodie deprecantem te *ut sanitatem benigne tribuas Eucharistiae, Iulii sorori, ob bona quae cum sanctis tuis 10 ipse facit». Statimque signavit aquam in modum crucis, dedit eam pueris, *qui* effuderunt eam super illam. Illico corpus eius erectum est; surrexit illa, in pedes suos constitit, et Deum ac S. Apa Epime glorificabat. B. vero Apa Epime in carcere positus multas ibi sanationes in infirmis operabatur. 15

Et factum est post haec, Armenius dux audivit prodigia, quae S. Apa Epime in carcere patrabat; et iussit parari tribunal in loco, qui vocatur Cisarion, *ac* sanctum super tribunal adduci. Ait ei : «Tune es Epime magus?» Dixit ei sanctus : «Profecto ego sum Epime, at ego magus non sum, sed famulus Domini mei, I. Christi, 20 Filii Dei vivi». Ait ei Armenius : «Quae sunt opera ista, quae in carcere facis?» Dixit ei sanctus : «Opera, quae a me acta audisti, non magicis artibus, sed in nomine Christi feci. Audivi enim de viro quodam mago, Astratôle nomine, quod fecit magna magiae opera; et cum invocationem fecisset, puteus abyssi patefactus est 25 ei. Descendit ipse eum videre cupiens, et puteus super eum clausus est, *ac* daemones apprehenderunt eum. Alii dixerunt : 'Occi- *p. 139. damus eum'; alii autem : 'Detrahamus pellem eius'; *alii : 'Caput eius auferamus'; alii : 'Evellamus ungulas eius'; uno verbo, magna mala ei facere volebant, et ille defatigatus est 30 invocans potestates[2], *quae* eum salvare non potuerunt. Post haec autem meminit christianorum Dei : illico cor eius confirmatum est; et confortatus est. Ait in corde suo : 'Si christianorum Deum in memoriam tantummodo revocando ita plane cor meum confirmatum est, quanto igitur magis proficiam, si in corde meo 35 et lingua mea confitebor eum?' Statim clamavit dicens : 'I. Christe, christianorum deus, si liberaveris me de hac necessitate, in qua

[1] κολασις. — [2] εξουσιας.

versor, sanguinem meum pro nomine tuo beato effundam'. Et illico puteus aperuit os suum, *ac* ipse adscendit sursum; ut scias, o stulte et insipiens, non existere Deum potentem praeter christianorum Deum. Ipse veneficia omnia et opera patris tui diaboli, 5 quibus *is* fascinavit homines, solvet».

Ait ad eum Armenius : «Audi me, sacrifica diis, ut dimittam te». Dixit ei sanctus : «Contentus sis verbo, si sapis; notum tibi sit me haud sacrificaturum diis tuis impuris». Iratus est Armenius, *et* ait ad S. Apa Epime : «Audi me adhortantem te, sacrifica 10 diis, ne[1] corpus tuum duris cruciatibus perdam. Verumtamen postula a me petitionem aliquam, ut illam perficiam; vere enim contristatus sum de te». Dixit ei sanctus : «Quaenam est petitio mea quam perficies». *Ait ei Armenius : «Si vis, scribam domino meo *p. 140. regi ut tibi magnam, *et* excelsam dignitatem conferat, ac concedat 15 tibi c milites, qui sub tua sint potestate». Risit autem sanctus, *et* ait ei : «Haec igitur est petitio quam perficies mihi? vivit Dominus! si c milites dares, ut c annis sub mea sint potestate, hi c anni non aequipollent uni horae in regno, quod a Domino meo, I. Christo, paratum est».

20 Furore iratus est Armenius, *et* iussit eum equuleo suspendi, *atque* cruciari donec ossa eius nudata sunt. S. vero Apa Epime, equuleo suspensus, oculos suos sursum in caelum levavit, *et* clamavit dicens : «Domine mi, I. Christe, adiuva me in hac, qua versor, necessitate». Adhuc eo loquente, ecce archangelus Michael, candi- 25 dae columbae specie assumpta, super sancti caput constitit. Illico omnia vincula eius soluta sunt, equuleus confractus est medius, *ac* in duas partes divisus[2]; et *sanctus* stetit super tribunal, nec ulla corruptio in eo erat. Armenius iratus est, *et* iussit eum secunda vice cruciari. Et praecepit magnam fossam igne succendi, *ac* bea- 30 tum tridentibus ferreis super eam volutari, donec cutis corporis eius sancti contracta est. Et in Dei virtute S. Apa Epime surrexit, stetit in medio ignis, nec ulla corruptio in eo erat. Postea iussit ungulas eius unam post aliam evelli, et acetum ac cinerem super eas effundi, virilia eius auferri, *atque* fervens oleum super ea effundi. 35 *S. vero Apa Epime fortiter hos cruciatus pertulit. Postea iussit *p. 141. afferri ollam plumbi, ut succenderetur donec instar aquae solutum esset, *et* in stomachum sancti effundi. Nobilis autem *vir* ait ad

[1] Textus : «priusquam». — [2] Italice ad litt. : «e fu fatto in due».

ducem : «O impie, ac stulte, equidem ego sum sicut ille, qui cum exierit a vento urente, *et* invenerit aquam frigidam ante se, bibit donec ventrem suum impleverit». Iratus est praeses, *et* iussit vincula ferrea manibus ac pedibus eius poni, *et* trahi illum per plateas civitatis, donec sanguis eius agglutinatus est in terra. Et reverti eum fecerunt, adduxerunt, *ac* statuerunt eum coram Armenio duce, nec ulla corruptio erat in corpore eius. Turbae autem civitatis clamarunt, dicentes : «Non est deus, praeter christianorum Deum».

Iratus est dux, *et* ait ministris : «Per salutem magni dei Apollinis! etiamsi Deus eius aequimanus esset[1], non poterit illum salvare de manibus meis. Tamen, per salutem dominorum nostrorum regum, non finiam cum eo, donec virtutem Dei eius videam». Ait sanctus ad eum : «Quia nomen Dei mei blasphemasti, credo illum vindictam de te illico sumpturum, teque mutum effecturum, ne iterum loqui valeas». Et statim labia illius sibi invicem adhaeserunt, et lingua in ore eius, nec ullo modo loqui poterat. Et turbae miratae sunt, *ac* clamarunt dicentes : «Non est deus praeter Dominum nostrum, I. Christum, christianorum Deum».

*p. 142. *Armenius autem dux surrexit, convolavit ad Iulium Chbehsensem, rogavit eum ut suaderet B. Apa Epime ut sanaret eum ab infirmitate, quae eum apprehenderat. Iulius vero abiit ad B. Epime, amplexatus est eum, os ac pectus eius osculatus est deprecans eum, dicens : «Deprecor te, Christi martyr, ut sanes Armenium comitem». Dixit ei sanctus : «Vivit Dominus meus, quem blasphemavit! non poterit loqui donec accipiat calamum, et atramentum ac chartam, *et* scribat manu propria, confitendo non esse Deum, praeter Dominum I. Christum, christianorum Deum».

Armenius autem accepit chartam, *et* scripsit in ea ita : «Credo non esse Deum, praeter Dominum, I. Christum, christianorum Deum». Omnes qui sedebant circa eum acceperunt chartam, *ac* legerunt eam. S. vero Apa Epime ivit ad eum, *et* ait ei : «In nomine Domini mei, I. Christi, o christianorum Deus, qui aperuisti os Zachariae sacerdotis, ita ut is loqueretur, et glorificaret nomen sanctum tuum, ita quoque, Domine, aperiatur modo os huius impii, ut aperiat os suum *ac* iterum loquatur, et quidquid voluerit dicat; scio enim eum non crediturum, verumtamen *fac hoc* propter multitudinem istam adstantem, ut credant in nomine tuo sancto».

[1] Ad litt. : «dexter esset in utraque manu sua».

Et illico apertum est os Armenii; locutus est, *et* ait ad S. Apa Epime : «Virtutem tuam totam adversus me exercuisti hodie, o temerarie; attamen ego minime parcam tibi».

*p. 143. *Iussit B. Apa Epime ad balneum duci manibus ac pedibus vinctum, et in caminum balnei proiici, *et* ignem super eum ali. Et ligaverunt eum, *ac* proiecerunt in clibanum *ubi mansit* tribus diebus et tribus noctibus. Sanctus autem oravit Deum, dicens : «Deus, qui exaudisti patrem nostrum Abraham, extinxisti subter eum flammam ignis Bosoch regis; qui Paulum et Theclam ab igne Thamaris (Thamyris) liberasti; qui salvasti Ioseph de manibus Aegyptiae ac domini sui; qui tres sanctos exaudisti in medio fornacis ignis ardentis, et misisti angelum tuum, *ac* liberasti eos de manibus Nabuchodonosor regis, et rex fuit primus ad confitendum tibi dicens : 'Nonne tres vivos proiecimus in fornacem ligatos? ecce enim, ait, video quattuor viros solutos, ambulantes in medio ignis, *ac* nil corruptionis in eis est, et species quarti similis est filio Dei[1]'. Modo, Domine mi, audi me, libera me de medio ignis, quoniam dies irae, et tribulationis, et angustiae omnis, dies haec est.»

Et statim ecce archangelus Michael deorsum de caelo venit, ingressus est caminum balnei ad S. Apa Epime, extendit alas suas lucidas super eum, egitque ut flamma ignis fieret instar ventus roris flantis in hora matutina. Et ait ad eum Michael : «Viriliter age, et confortare, Christi regis athleta. Ego *p. 144. *sum Michael, quem Dominus misit ad te, ut adiuvarem te». Statim vincula omnia soluta sunt; et surrexit, *ac* stetit super pedes suos.

Factum est autem, cum S. Apa Epime tribus diebus positus esset in balnei camino, Domino illum protegente, surrexit Armenius, abiit ad balneum volens lavare se. Exuit vestes suas ut se lavaret, recordatus est sancti Apa Epime, et ait : «Confusus fuisti, o mage Epime; ubi est modo Deus tuus? liberet te de manibus meis». Dum haec loqueretur Armenius, ecce archangelus Michael tulit S. A. Epime, *et* statuit eum coram illo in medio lavacri. Cum autem Armenius dux vidisset eum, ira repletus est valde, et reversus est e balneo *et* non se abluit in illa die. S. vero Apa Epime exiit in plateas civitatis, post Armenium ambulans, universa civitatis turba eum mirante.

[1] Dan., iii, 24-25.

Eusebius autem, protopolites civitatis, quamdam aedem suam suburbanam[1] aedificabat. Filius vero eius unigenitus operariis cunctis praeerat, urgens eos *ad opus*. Ea hora qua S. Apa Epime per viam transibat, cecidit adolescens de super aede; cerebrum eius disruptum est *et* per nares eius exivit, et totum eius corpus contusum fuit. Universa autem turba circumdabat eum flens. Ait eis S. Apa Epime : «Recedite paullulum a me, ut gloria Domini mei, I. Christi, manifestetur». Statim turba *recessit ab eo. S. Apa Epime stetit supra corpus adolescentis, *et* oravit ita dicens : «Domine mi, I. Christe, Fili Dei vivi, audi me in medio huius multitudinis, et glorificetur nomen tuum sanctum». Et apprehendit adolescentis manum, *ac* erexit eum; nec ulla corruptio in eo erat. Statim cor eius confirmatum est; aperuit oculos suos, vidit S. Apa Epime stantem, *et* adoravit eum, benedicens Deum. Turba vero, quae circa illum erat, cum vidisset quod factum fuerat, glorificavit Deum et S. Apa Epime.

Statim CVI homines accesserunt ad ducem, apprehenderunt eum, nec siverunt eum ad prandium ire, omnes una voce clamantes : «Unus est christianorum Deus, I. Christus, S. Apa Epime Deus. Ipse est in quo speramus, et ipse te, et regem tuum, et deos tuos inanes confundet. Nos enim christiani sumus, *fatemur* aperte; Deo S. Apa Epime annumerati sumus». Tum iratus est Armenius, *et* iussit eos ad mare duci, sententia in illos lata. Ait ad Symachum : «Vade ad apostatas[2] *istos, et* fac eis iuxta verbum dominorum nostrorum regum. Potestas data est tibi interficiendi eos quavis morte, quae tibi placeat».

Symachus autem carnifex[3] adduxit sanctos martyres iuxta mare, ad lineas disposuit eos, extendit manum suam, arripuit ensem, *et* ivit ad eos. Aliis caput abstulit, aliorum *pedes subnervavit; breviter, fecit eis prout sibi placuit. Et defatigatus est Symachus carnifex, *ac* sedit super lapidem ut paullulum requiesceret.

Ait ei unus e turba, Dioscorus nomine : «Symache, fili mi, desine effundere beatorum sanguinem, magnus enim est eorum Deus; non te amplius *hoc facientem* tolerabit, sed illorum sanguinem super te adducet». Dixit ei Symachus : «Si moriar, ponatur pupilla mea dextera sub limine portae Amenti». Et omnes beati, qui adhuc vivebant, addiderunt : «Amen; fiat tibi quemadmodum

[1] ϖροαστιον. — [2] αποστατης. — [3] κεστωναριος.

dixisti». Et exiliit sursum Symachus, *ac* reliquos beatos interfecit. Et firmamentum repletum est angelis, qui obviam exierunt beatis gaudentes cum eis, ut eorum animas acciperent, *ac* mappis byssinis ornarent eas. B. autem Apa Epime respiciebat eos omnes, benedicentes Deum, et glorificantes Dominum nostrum, I. Christum.

Sanctus vero accessit ad Armenium, *et* ait ei : «Vivit Dominus Deus omnipotens, Dominus animae meae et corporis mei, non hinc abibis donec sententiam in me tuleris». Armenius autem id agere non potuit propter civitatis turbam; diligebant enim S. Apa Epime ob signa magna et prodigia, quae in nomine Christi operabatur. Tum iussit adduci sibi leonem, et ursum, et pantheram, et leopardum. Imposuit eos scaphae una cum *S. Apa Epime, manibus ac pedibus vincto, ut pelleretur ea in mare itinere trium dierum. S. autem Apa Epime Deum laudabat in cantico Danielis.

Tribus autem absolutis diebus, archangelus Michael scapham cum S. Apa Epime ad litus adduxit, belluis manus ac pedes eius lambentibus. Armenius vero, cum vidisset eum, miratus est valde, cogitabat enim in corde suo belluas devorasse eum. Respondit Apa Epime : «Erubesce, o Armeni, nam ecce Dominus meus, I. Christus, misit angelum suum, *qui* liberavit me a mari et belluis, ut te ac deos tuos impuros confundam».

Armenius iussit sterni tribunal in loco maritimo qui vocatur Posidon, iuxta mare. Praecepit S. Apa Epime lecto ferreo imponi, intra quem erant annuli ferrei[1]. Iussit ignem immitti ei, *ac* illum *sanctum* comburi. Tunc ecce nubes lucida, rore plena, super lectum expansa est, *ac* ignem extinxit. Et vincula ferrea, et annuli, quibus sanctus erat constrictus, soluta sunt tamquam cera coram igne. B. autem Apa Epime stetit coram Armenio, nec ulla corruptio in eo erat.

Repente vero caligo magna involvit Armenium, et omnes ministros eius, uno Iulio excepto. Tunc universa turba clamavit *voce magna : «Benedictus Dominus Deus Omnipotens». Armenius autem clamavit : «Benedictus es tu, christianorum Deus! Vocate mihi Iulium Chbehsensem». Cumque venisset Iulius, ait ei Armenius : «Quid vis ut faciam tibi[2]? Adhuc modicum, *et* turba adversus me consurget, *et* lapidabunt me».

[1] Scil. ad constringendum eum, iacentem in lecto, ope catenarum. —
[2] Exspectares «ei».

Iulius autem vertit se secunda vice ad S. Apa Epime, *et* dixit ei : «Domine mi frater, miserere nostri; manifestetur iterum Dei virtus in medio turbae huius». S. vero Apa Epime levavit oculos suos sursum ad caelum, et oravit. Ivit ad Armenium, tetigit oculos eius necnon omnium militum. Illico caligo recessit ab eis, et viderunt. Iratus est Armenius volens cruciare beatum. Turba autem universa clamavit : «Haud sinemus te ex hac hora hominem hunc iustum excruciare».

Theophanes vero domesticus [1], et Soterichus consiliarius [2] verterunt se ad Armenium, *et* dixerunt ei : «Dominus noster, pelle in exilium hominem hunc in Aegyptum, ut ibi interficiant eum : nam si eum hic excruciabis, nos lapidibus et igne petent. Nos enim scimus homines huius civitatis rebelles esse; nec parcent nobis».

Dum haec ita essent, ingressus est Racoti Rhocelianus praeses cum Sebastiano, qui dux superioris Aegypti factus fuerat, Rhocelianus vero praeses trium civitatum, *scilicet* civitatis Hnēs, et civitatis Pemğe, et civitatis Cais, cum Diocletianus ad eos *scripsisset, ac in Aegyptum misisset eos. Armenius autem iussit S. Apa Epime manibus ac pedibus vinci, numellam [3] collo eius poni, eum Rhoceliano praesidi et Sebastiano duci tradi, qui perducerent eum in Aegyptum, ut ibi occiderent eum.

Cum autem S. Apa Epime navi impositus fuisset, venit Iulius, amplexatus est eum, *et* dixit ei : «Rogo te, bone pater mi, memento mei in locis ad quae ibis. Dominus tribuat virtutem tibi, donec agonem tuum beatum absolvas». Cumque Iulius haec dixisset S. Apa Epime, vocavit duos servos suos, Faustum et Theotimum, tradidit eis S. Apa Epime, ut ei ministrarent, donec agonem suum absolvisset. Praeses autem et dux conscenderunt navem cum praesidio militum, *et* navigarunt ad austrum, ut ad civitatem Hnēs pervenirent. Cum pervenissent ad pagum, quem vocant Phūoh Enniamēū, ad occidentem fluminis, cum ventus *secundus* dereliquisset navem, ad litus cum beato appulerunt. Et angelus Domini tetigit latus S. Apa Epime, *et* ait illi : «Esto paratus, o regis Christi athleta, quoniam corona tua et agon tuus in proximo sunt tibi; hic enim est locus [4] quem Dominus paravit tibi, ut confessionem beatam in eo absolvas».

[1] τομηστικος. — [2] συμβουλος. — [3] κολλαριον. — [4] Ad litt. : «via», et sic bis deinceps.

Praeses vero, ac dux tribus diebus in eo loco manserunt ob ventorum *adversorum* vehementiam. Postea adnuntiarunt eis : «Est templum ad occidentem civitatis, ubi dii sunt; surgamus, eamus illuc adorare eos».

*Erat ibi castrum, cui praeerat tribunus cum militibus, Čōm τοῦ Cemēn nuncupatum. Misit praeses afferri sibi nonnulla iumenta, ut ad templum irent, *et* deos adorarent. Statim iumenta impedita sunt, nec ullimode ambulare potuerunt. S. vero Apa Epime ait illis : «Vivit Dominus meus, I. Christus, non poteritis locum hunc praetergredi, donec sententiam meam tuleritis; nam hic est locus, quem Dominus constituit mihi, ut oeconomiam meam in eo absolvam». Illico straverunt tribunal in Phūoh Enniamēū, miserunt ad templum, *ac* praeceperunt sacerdotibus afferre Apollinem, ut eum ibi adorarent. Et adduxerunt illum ad eos. Praeses autem ac dux, et milites quoque, prostraverunt se, *et* adoraverunt eum. Postea sederunt ibi pro tribunali et iusserunt ad se adduci christianos, qui in eo loco habitabant.

Et adduxerunt ad eos A. Sarapionem presbyterum Phūoh Enniamēū, et Orionem presbyterum de Čōm τοῦ Cemēn, et Abionem, qui caput erat τοῦ Cemēn, et Eudemonem, incolam Phūōit, et Petsiri, incolam Tiloğ, aliosque christianos multos, *qui* omnes *erant* illius loci. Cum eos publice audissent, eorum alios interfecerunt, alios vero secum in navi tulerunt. Ait praeses ad S. Apa Epime : «Ecce dominus tuus, eum coram te adduci iussi, ut iam magiam agere non valeas». S. autem Apa Epime, magna fortitudine accinctus, apprehendit Apollinem, allisit eum *ad terram, thronum praesidis evertit sub eo, *ac* reges eorumque deos impuros exsecratus est. Praeses autem ira repletus est valde, iussit nervos calcaneorum eius perforari, eumque capite deorsum *verso* suspendi tribus horis, donec cerebrum eius ex ore et nasu eius defluxit. Et postea iussit eum deponi, *ac* molares et aversos dentes eius evelli. Sanctus vero nullum cruciatuum sensit.

Perrexit impius crudelis, *et* iussit afferri lebetem, coniici in eum sulphur, et asphaltum, et oleum, eisque submitti ignem donec ebullirent; manus ac pedes sancti ligari, ut in lebetem demitteretur. Et praecepit afferri stilum ferreum igne candentem, *ac* in aurem eius dexteram immitti donec per aurem sinistram exiret. Dum autem beatum coniicere vellent in lebetem, sursum exsilierunt guttae ferventes, *ac* milites turbasque adstantes adusserunt. Et

Beatus martyr e lebete adscendit, nec ulla corruptio omnino erat in eo. Tum sententiam eius tulerunt, ut caput eius auferretur.

Cum autem ad locum supplicii eum ducere vellent, Sebastianus iussit eum ad se vocari, *et* dixit ei ita : «Epime, audi me, ne male moriaris». Respondit S. Epime, *et* ait ei : «Quando est vir dives, qui multas possessiones habet *ac* filios, *filii eius sciunt divitias patris sui. Ego quoque scio divitias Dei mei, qui est in eonibus[1] lucis. Cor meum ad eum direxi, ut partem accipiam in regno eius». Ait dux : «Statuisti in corde tuo male mori?» Dixit ei S. Apa Epime : «Mors, qua ego moriar, non est mors, sed vita aeterna». Respondit Rhocellianus praeses, *et* ait ad ducem ita : «Dimitte arrogantem hunc, ut auferant caput eius, *et* nos quiescamus ab eo; nam magiae eius prohibent nos, nec sinunt nos eo tendere, quo rex misit nos».

Carnifices autem traxerunt B. Apa Epime, ut caput eius auferrent. Beatus vero ait illis : «Rogo vos, dimittite me paullulum ut orem, priusquam caput meum auferatis». Carnifices autem concesserunt ei ut oraret. S. vero Apa Epime faciem suam ad orientem vertit, oravit ita dicens : «Domine mi, I. Christe, aperi mihi ianuas tuas beatas ut ingrediar eas et confitear tibi. Angeli lucis et Cherubim, mecum state. Veni ad me hodie, Domine mi, I. Christe, esto mihi auxilium in via, donec in tribunali tuo tremendo occurram tibi». Cum autem orandi finem fecisset S. Apa Epime, vertit se, vidit servos Iulii stantes, paratos ad condiendum[2] corpus eius iuxta mandatum domini sui, et ait eis : «Cum caput meum abstulerint, condite honorifice corpus meum, quaerite *navem, imponite me illi, *ac* ferte me ad sepulchrum patrum meorum».

Cum haec diceret, ecce Dominus noster, I. Christus, supra eum stetit in gloria magna, et totus locus septuplum resplenduit, ita ut turba diceret : «Ignis est, qui de caelo venit, volens comburere nos». Ait Salvator ad S. Apa Epime : «Pax tibi, electe mi Epime, viriliter age et confortare, ne timeas, quia ego tecum sum». Cum autem sanctus vidisset Dominum nostrum, I. Christum, laetatum est cor eius in eo; prostravit se, adoravit illum, *et* dixit ei : «Domine mi, et Deus meus, volo ut petitionem largiaris mihi». Ait ei Salvator : «Omne quod postulaveris tribuam tibi». Ait sanctus ad eum : «Volo ut sanitatem largiaris omni homini, qui infirmitate

[1] *αιων.* — [2] *σκεπαζιν.*

quavis in civitate mea laboraverit, *ac* venerit ad topos meum, super corpus meum adoraverit, teque in nomine meo deprecatus fuerit». Dixit ei Salvator : «O electe mi Epime, dico tibi, non modo in civitate tua, sed quotquot in omni loco infirmitate quavis laboraverint, *et* venerint ad adorandum super corpus tuum beatum, *ac* me in nomine tuo deprecati fuerint, sanitatem largiar illis. Et insuper efficiam ut nomen tuum in toto orbe celebretur ; efficiam ut populi multi undique veniant ad adorandum super reliquias tuas beatas».

Post haec S. Apa Epime conversus ad carnifices ait eis : «Venite, *mandatum quod vobis imperatum fuit perficite». Et statim posuerunt camum ori eius, traxerunt eum, *ac* beatum eius caput abstulerunt. Sanguis et lac de corpore eius egressa sunt. Et Dominus beatam illius animam accepit, amplexatus est eam, tradidit eam stolae beati archangeli Michaelis; et duxit eam secum sursum ad caelos, *et* coronam capiti eius imposuit cum gloria ineffabili in regno suo.

Postea servi Iulii protulerunt syndones, quas eorum dominus dederat eis, et praetiosa aromata. Corpus sancti condiverunt eis, parvae scaphae imposuerunt illud, *et* navigarunt cum eo usque ad portum Šmūn. Cum appulissent ad litus, quaesierunt iumentum, corpus sancti imposuerunt ei, et angelus Domini precessit eos, donec duxit eos in Pancōleus ad austrum loci cuiusdam, Pğelbah nuncupati. Et constitit eò loco iumentum. Ecce vox e corpore sancti egressa est, dicens : «Fauste, et Theotime, deponite me hic; iste enim est locus, quem statuit mihi Dominus». Tum servi Iulii deposuerunt corpus S. Apa Epime. Cum essent in manu eorum baculi e ligno olivae, *isti* statim pulchros fructus protulerunt.

Cum autem homines Pancōleus, pagi ubi natus erat, ac universi nomi illius, audissent, omnes exierunt obviam ei cum thuris *acerris, et cereis, et crucibus, et ramis olivae, et palmis, et syndonibus; ac decore sepelierunt eum cum honore magno. Posuerunt corpus eius in topos iuxta Ammonium, socium illius, donec Ecclesiam aedificarunt ei, prout dignus erat.

Et non multis post diebus servi Iulii reversi sunt ad dominum suum; ostenderunt ei quidquid S. Apa Epime, Christi martyri, evenerat, et baculos e ligno olivae, qui in eorum manibus floruerant, *ac* fructus germinaverant. Et dedit gloriam Deo ac S Apa Epime.

Ego Iulius scripsi acta S. Apa Epime, et virtutes quas operatus est. Reposui ea in domo mea, ut benedictio eius esset in habitationibus meis. Deus testis est mihi, Iulio, quia non addidi virtutibus eius, neque ex eis dempsi, *nihil scripsi* praeter ea quae oculis meis vidi, et auribus meis audivi, nec non quae narraverunt mihi servi mei accidisse illi. Deus autem, amator hominum, fecit mihi gratiam ut ignorantiam tribueret impiis regibus, ne possent prohibere me beatorum curam gerere, cum placuisset Deo et S. Apa Epime liberare me *ob hoc opus pium* a peccatis et iniquitatibus meis.

Ita martyrium suum beatum absolvit fortis Christi martyr, S. Apa Epime, die VIII^a mensis epēp, cum sursum ad eum evolasset quem dilexit Dominum nostrum I. Christum, agonothetam suum *p. 156. *verum, cum omnibus beatis in regno Dei festum agens, pro nobis omnibus, peccatoribus quidem, intercedens.

Fiat autem nobis omnibus, o dilecti mei, ut inveniamus misericordiam, et fiduciam[1] coram Domino in tribunali eius tremendo, per orationes et preces illius, cuius hodie festum agimus, fortis Christi Iesu martyris, S. Apa Epime; in gratia, et misericordia, et humanitate Domini, et Dei ac Salvatoris nostri, I. Christi, per quem omnis gloria, et honor, et adoratio decet Patrem una cum eo, et Sp. sanctum vivificantem atque consubstantialem, cum illis, [nunc et semper, et in saeculum saeculorum] omnium. [Amen.]

[1] ϖαρρησια.

VIII

Martyrium S. Theodori Stratelates, fortis Domini nostri, I. Christi, martyris, qui vicit in omni bono certamine pro Christi nomine, donec accepit coronam martyrii, quod strenue consummavit die XX^a mensis epēp, in pace Dei. Amen. *p. 157.

Factum est autem in diebus Diocletiani, impii regis, anno XIX° regni eius, qui est annus XVIII^us Maximiniani, regum impiorum, magnam persecutionem excitarunt adversus christianos toto orbe degentes. Et ad omnia loca, sub eorum ditione posita, scripserunt edictum ita exaratum : «Ego sum Diocletianus rex autocrator; praecipio vobis omnibus, qui sub mea estis potestate, ut colatis deos meos Apollinem, et Artemidem, qui», ait, «dederunt mihi hanc dignitatem, et hanc potestatem. Qui non adoraverint deos meos benedictos, qui coronam super caput meum cum gloria posuerunt, praecipio ut interficiantur in ore gladii, et omni mala morte tribunalis[1]».

Cum igitur scripta accepissent singularum regionum archontes, per singula loca christianos pervestigare coeperunt, omni mala morte interficientes eos, alios quidem belluis, alios autem igni tradentes, alios *in ore gladii interficientes. In hoc igitur multitudo *p. 158. innumerabilis victoriam accepit, *ac* incorruptibilem retulit coronam.

Audiatis modo fortitudinem cuiusdam adolescentis pulchri, Theodori nomine. Hic autem erat stratelates, miles fortis, in regione Anatoliae[2], qui adscriptus fuerat legioni cuiusdam ordinis[3], qui martysiōn vocabatur. Cum autem vidissent reges fortitudines S. Theodori, cinxerunt eum stratelatem, dederunt illi multos milites, qui sub eius imperio essent, ac potestate, et miserunt eum in bellum. Rex diligebat eum valde, quippe qui erat ei carus ob illius fortitudinem atque pulchritudinem. Insuper cum in bellum procederet, hostes ante eum fugiebant, omnes a facie eius timentes, ita ut nomen eius magnum esset apud cunctos Romanorum ac Persarum reges, eo quod polemarchos esset et fortis valde.

Accidit autem quadam die dum esset in bello, *et* dormiret noctu, militibus eius circumdantibus eum, ecce Dominus noster, I. Chri-

[1] δικαστηριον. — [2] ανατολη. — [3] ταγμα.

stus, stetit supra eum, percussit latus eius, *et* ait ei : «Surge, cur dormis, dum certamen extenditur?» Cum autem e somno evigilasset, ac vidisset Dominum, timuit valde, atque perterritus est. Ait Salvator bonus ad eum : «Cognoscis me, quisnam ego sim?» Dixit ei beatus : «Minime, Domine mi; oro te ut ostendas mihi quisnam sis tu in hac magna gloria; * nam vere, cum te vidissem, in timore magno fui, Domine mi». Ait ei Dominus : «Ego sum Iesus, rex tuus verus. Cur bellum agis pro rege mortali? Surge, vade, certa pro nomine meo, ut immarcescibilem accipias coronam in regno meo in caelis. Nonne recordaris, Theodore, temporis quo aegrotabas, *ac* tibi circumstantibus dixisti : 'Utinam et ego martyr fierem pro nomine Christi, ut faciat mecum misericordiam in regno suo!' Nunc vero tempus est ut confitearis nomen meum coram hoc impio rege; multos enim labores pro nomine meo suscipies. Confortare igitur, ne timeas, ego tecum sum in omnibus angustiis tuis. Surge, vade cras ad civitatem Euchētos, occide draconem hunc, quem colunt, qui christianorum animas, quae ad me pertinent, perdit». Cum autem Salvator haec dixisset ei, dedit ei pacem suam, *et* abiit sursum ad caelos in gloria cum angelis suis beatis.

Cum vero S. Theodorus surrexisset mane, reliquit milites in bello, *ac* nulli eorum, qui secum erant, arcanum suum patefecit. Et cum equum suum conscendisset, abiit in civitatem Euchētos. Erat draco quidam extra civitatem in deserto, quem homines civitatis colebant; erat enim magnus. Huic semel in anno animam humanam tradebant; et aedificarunt ei templum, ibi eum colentes. Cum autem tempus advenisset, quo homo de more traderetur illi, congregati sunt * omnes homines civitatis, sortem inter se iecerunt, apprehenderunt parvum puerum, viduae cuiusdam christianae filium, ligaverunt eum, extra civitatem posuerunt eum; et universa turba extra civitatem erat expectans draconem. Dum vero haec ita essent, ecce venit S. Theodorus equo suo insidens. Cum autem vidissent eum, exierunt obviam ei a minimo usque ad magnum, honorem ei exhibentes, ac si esset stratelates regis.

Factum est autem, cum vidisset illum mater pueri, clamavit dicens : «Domine mi stratelates, adiuva me, quia violentia magna erga me est». Dixit ei S. Theodorus : «Quid tibi est, mulier? Ostende mihi». Illa vero clamavit dicens : «Ego sum mulier christiana vidua; unicum habeo filium. Surrexerunt adversus me isti

impii, tulerunt a me filium meum parvum, ut traderent eum draconi huic, quem colunt».

Cum haec a muliere audisset S. Theodorus, vehementer doluit, et ait ei : «Tune christiana es, vel ethnica?» Illa autem respondit dicens : «Iam dixi tibi, domine mi, ego mulier christiana sum, colens christianorum Deum; propterea quidem isti ethnici parvum meum filium apprehenderunt, volentes eum impuro huic draconi tradere». Respondit ei S. Theodorus : «O mulier, ne timeas; ex nunc enim malae huius bestiae videbis interitum; neque addet hominem tangere ex hac hora usque in aeternum».

* Turbae autem, cum haec audissent, miratae sunt. Responderunt sacerdotes, qui in templo draconis ministrabant, dicentes S. Theodoro : «Domine stratelates, si venerit draco paratus *ad saeviendum* universam civitatem hanc percutiet, nec ullus hominum coram eo stare poterit». Ait illis S. Theodorus : «Si creditis in Christum, huius mali draconis videbitis interitum; vere enim Christus misit me huc ad hoc opus».

Draco autem appropinquabat civitati, et vapor eius obtenebrabat aerem. Tunc S. Theodorus precem ad Deum obtulit, dicens : «Audi me, Domine Deus Omnipotens, Pater Domini mei Iesu. Qui dedisti virtutem prophetae tuo Danieli ut draconem Babyloniorum interficeret[1], mihi quoque, Domine, da virtutem et hunc alterum interficiendi, ut unusquisque sciat non esse Deum in caelo et super terram, praeter te, ac unigenitum filium tuum, I. Christum, Dominum meum, et Sp. sanctum; quia tua est gloria in aeternum. Amen». Cum autem cessasset orare, signavit se signo sanctae crucis, equum suum conscendit, manu lanceam tenens, *ac* exivit contra malum draconem.

Cum vero appropinquasset ad eum, clamavit dicens : «Praecipio tibi in nomine Domini mei, I. Christi, ne te moveas de loco tuo» : statimque os illius clausum est instar lapidis, *ac* cecidit ad * pedes equi. Et S. Theodorus extendit manum suam, lancea sua confodit eum. Tunc cum vidissent turbae hoc magnum prodigium, clamaverunt dicentes : «Magnus est christianorum Deus, Dominus noster I. Christus, S. Theodori Deus; non alius praeter eum est». Tunc mulier vidua accepit parvum suum filium, abiit in domum suam, Deum ac S. Theodorum glorificans.

[1] Dan., xiv, 22-27.

Post haec autem fama S. Theodori in universam Anatoliam exivit propter prodigium quod patraverat. S. vero Theodorus reversus est in palatium Antiochiam ad regem. Cum rex vidisset eum, gavisus est valde ipse et omnes qui cum eo sedebant; putabant eum more suo accepisse victoriam in bello. Ait ad eum rex : «Salve, 5 domine Theodore, magne stratelates Romanorum exercitus, una cum diis universae terrae dominatoribus». Respondit S. Theodorus, *et* ait : «Salve cuicumque, qui credit in Dominum meum, I. Christum, non autem vobis regibus transgressoribus; quia Dominus meus Iesus dixit : 'Ne dicas ave ei qui non credit'. Nunc vero ex 10 hodie extraneus sum vobis regibus atheis; ego enim sum miles Domini mei, I. Christi, regis immortalis; ego christianus sum, *fateor* aperte, credo in Dominum meum, I. Christum, Filium Dei viventis». Tunc fortis Christi athleta, in omni certamine victor, S. Theodorus, vere nobilis, solvit cingulum suum, *et* proiecit illud 15 in faciem Diocletiani regis, dicens : «En quae * tua sunt, iam *p. 163. amplius non sum miles tuus, sed cinctus sum miles apud Dominum meum, I. Christum». Factum est autem, cum audisset haec, Diocletianus rex scidit purpuram suam, crinem capitis sui evellit, dicens ei : «O Theodore, magne mi stratelates, quid tibi accidit? Tu 20 enim es in quo fiducia mea posita est in universo regno meo. Nunc vero num bellum ingravatum est contra te, vel potius multum aes publicum expendisti ob turbarum multitudinem quae tecum sunt? nunc igitur quod vis pecuniae sume tibi, tantummodo ne me dolore afficias, pronuntians hoc nomen, Iesus, coram me». 25

Cum autem haec audisset, S. Theodorus clamavit dicens : «O rex inique, et impie, non te pudet dicere mihi : 'Sume tibi pecunias, *et* abnega Deum'? Num vis me Iudae socio tuo connumerari, qui acceptis xxx argenteis Dominum suum abnegavit, et tradidit illum qui venit in mundum ut nos redimeret? Peccatum hoc tibi 30 imputatum est, o impie, tibi et patri tuo diabolo, quocum proiiceris in gehennam ignis ardentis; cito enim transies, *et* regnum tuum dissipabitur, o inimice Dei».

Cum vero haec audisset rex, ira repletus est, *et* ait ad S. Theodorum : «O Theodore, mitte haec verba stulta, quae loqueris 35 coram me; hoc enim nomen, Iesus, haud e manibus meis te liberare poterit. Desine multa verba facere, quia tu quidem scis quod diligo te prae * multis in palatio meo; propter hoc fero te *p. 164. verba haec impudenter mihi loquentem. Iuro tibi per magnum

deum Apollinem, et Artemidem omnium deorum matrem, et regni mei potentiam, nisi diligerem te valde, cito male te perdidissem. Modo vero audi me, sacrifica diis meis, Apollini et Artemidi, totius orbis servatoribus, ne in universo palatio confundaris». Respondit 5 S. Theodorus, *et* ait ad regem : «O stulte et insipiens! Dixit David in psalmo : 'In Domino confido, non confundar in aeternum[1]; confundatur vero qui manufacta adorant, qui gloriantur in idolis suis[2]'.» Iratus est autem rex, *et* iussit eum in carcerem duci, donec deliberaret quid ei facturus esset. S. vero Theodorus totam egit 10 noctem ad Deum sursum orans, donec lux orta est.

Mane autem facto, iussit rex S. Theodorum ad se super tribunal adduci : et adductus est. Ait rex ad eum : «Theodore, magne mi stratelates, num suasus es sacrificare diis?» Respondit beatus S. Theodorus, *et* dixit regi : «Absit mihi ut derelinquam Dominum 15 meum, I. Christum, *et* adorem idola haec mortua, quae oculos habent *et* non vident, aures habent et non audiunt, manus habent et non palpant, pedes habent * et non ambulant, nares habent et *p. 165. non odorant. Similes fiant illis qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis[3]». Haec autem cum audisset rex, iratus est valde, *et* 20 iussit manus sancti a tergo eius devinci, *et* plumbatis (?) ferreis eum caedi, donec omnia ossa, illius nudata sunt. Postea praecepit eum vestibus exui, *et* super ventrem ac dorsum caedi, donec sanguine eius terra madefacta est. Nobilis autem Christi athleta, S. Theodorus, fortiter hos pertulit cruciatus.

25 Tunc ait ad eum rex : «O Theodore, dic mihi verbum, ut dimittam te». Respondit S. Theodorus, *et* dixit regi : «Nil mihi et tibi; cruciatus omnes, quos vis, adduc super me; paratus sum eos perferre virtute Domini mei, I. Christi». Cum autem haec audisset, Diocletianus rex ira repletus est valde; iussit sanctum pedibus suspendi, 30 *et* afferri magnum lapidem, quem quattuor milites portabant, *ac* eius collo illum appendi, ita ut sanguis eius totus ex ore atque naribus eius in terram deflueret.

Adhuc vero S. Theodoro in altum pendente, advenerunt sacerdotes draconis, quem S. Theodorus interfecerat, steterunt coram 35 impio, *et* clamarunt ita dicentes : «Dominus noster rex, audi nos». Ait eis rex : «Quid vobis est?» Ipsi autem dixerunt ei : «Dominus noster rex, quandoquidem * dominatio tua mandavit omnes homines *p. 166.

[1] *Ps.* XXIV, 2. — [2] *Ps.* XCVI, 7. — [3] *Ps.* CXIII, 13-16.

ubique deos colere, hic, Theodorus scilicet, venit ad civitatem nostram, interfecit draconem magnum, quem universa civitas nostra colit, et evertit cultum quem diis quotidie exhibemus». Tunc rex, cum audisset haec a sacerdotibus, iratus est valde, *et* volebat eum statim occidere. Ait rex sacerdotibus : «Ite ad templum 5 Apollinis, requiescite cum sacerdotibus, sociis vestris, usque mane. Cum mane factum fuerit, videbitis castigationes quae super infelicem illum adducam; quoniam vere dii sunt qui omnia mala ista super eum adduxerunt». Iussit rex illum in carcerem coniici, quoadusque deliberaret quomodo eum occideret. 10

S. autem Theodorus in carcere positus Deum deprecatus est, ita dicens: «Oro te, Domine mi, I. Christe, Fili Dei viventis, audi me in hac hora. Mitte ignem de caelo, ut templum istud, et sacerdotes, qui in eo sunt, et idola impura manufacta devoret». Statim autem, adhuc orante S. Theodoro, venit ignis de caelo, *ac* devoravit 15 templum, et sacerdotes impuros, et idola omnia, quae in eo erant. Universa vero civitatis turba agnovit prodigium hoc admirabile precibus S. Theodori accidisse, *et* clamavit, Deum S. Theodori glorificans.

Rex autem cum cognovisset id quod templo et sacerdotibus atque 20 idolis eius impuris evenerat, furit vehementer; iussit illum ad se super tribunal adduci *manibus ac pedibus pedicis[1] ferreis vinc- *p. 167. tum, ferro librarum centum eius collo appenso. Cum autem adductus fuisset, ait illi rex : «O sceleste, pro eo ut diis sacrificares[2] *et* incensum eis offerres, modo magiis tuis templum, et sacerdotes, 25 et deos evertisti». Respondit S. Theodorus, *et* dixit regi : «Si dii tui dii sunt, cur semetipsos salvare non potuerunt? quia vero dii non sunt, Deus meus misit angelum suum, igne combussit eos, eorumque malos cultores». Iratus est autem rex, *et* iussit oculos eius effodi, manus et pedes eius abscindi, virilia eius auferri, 30 acetum fervens ac sal super ea effundi, nervos omnes corporis eius educi, lumbos (?) eius frangi, linguam eius e ligamine suo evelli, ossa oris eius confringi, *et* ungulis ferreis corpus eius laniari.

Praeterea iussit afferri sulphur, et picem, et adipem, et butyrum, ferventia, *ac* plagis eius illa infundi. S. Theodorus autem 35 vehementer passus est, *ac* Deum oravit, dicens : «Audi me cito,

[1] πεδες. — [2] Italice : «in luogo (invece) di 'sacrificare...»; gall. : «au lieu de».

Domine mi, I. Christe; qui apostolos tuos sanctos audisti, *et* sanasti eos a multitudine omnium dolorum suorum, qui illati sunt eis; modo audi me quoque, Domine Deus meus, auxiliare mihi, ne impius hic dicat : 'Deus eius non potuit liberare illum de mani- 5 bus meis'; quia tu es quem decet omnis gloria, *una cum Patre *p. 168. tuo bono, et Sp. sancto in aeternum. Amen».

Dum haec autem beatus loqueretur, venit ad eum Dominus noster, I. Christus, currui splendenti insidens, millibus millium angelorum, et myriadibus myriadum archangelorum praeceden- 10 tibus eum. Ait ad illum Salvator : «Salve, electe mi Theodore, Patri meo bono dilecte, confortare, ne timeas, quia ego tecum sum in omnibus angustiis tuis, et tormentis omnibus, quae pro nomine meo suscipies. Ecce ego dico tibi, o electe mi Theodore, pro exiguis his doloribus, quos propter nomen meum suscepisti, 15 efficiam ut nomen tuum in toto orbe celebretur ob miraculorum multitudinem, ac sanationum, quae ubique per te agam. Omnes homines qui in quacumque necessitate positi fuerint, *et* deprecati me fuerint in nomine tuo, audiam eos cito *ac* petitionem eorum implebo. Qui misericordiam fecerit in nomine tuo, quovis modo, 20 sive aliquem cibando esurientem, sive nudum operiendo, sive peregrinum ad se suscipiendo in nomine tuo, cibabo eum fructu ligni vitae, et insuper huius mundi necessariis non deficiet. Qui aedificaverit topos in nomine tuo, eum in caelo tibi donabo. Qui scripserint librum martyrii tui, et tormenta, quae pro nomine 25 meo suscipies, ac prodigia quae per te agam, scribam nomen eorum in libro vitae. Qui oblationem[1], aut primitias[2] ad ecclesiam deferet in die commemorationis tuae, benedicam ei cum oblatione *aeterna in caelis. Qui falsum iusiurandum in topos tuo iuraverit, *p. 169. cito ulciscar eum». Cum autem Salvator haec dixisset S. Theodoro, 30 manum suam super totum corpus eius duxit, sanavit eum, amplexatus est eum, dedit ei pacem suam, *ac* sursum ad caelos in gloria abiit, angelis ante eum canentibus.

Tunc clamavit S. Theodorus coram rege, dicens : «Confundaris, o rex impie; Deus meus sanavit me a cruciatibus tuis, quoniam 35 non est alius Deus in caelo et super terram, qui potens sit ut Dominus meus, I. Christus, Filius Dei viventis».

Ait rex adsessori suo : «Quid faciemus huic mago? post omnes

[1] προσφορα. — [2] απαρχη.

cruciatus, quos super eum adduximus, non sensit, insuper nos ita in medio huius multitudinis confundit». Dixit ei adsessor suus : «Mitte eum ad Publium, Anatoliae praesidem, ut audiat eum. Tantummodo ne excrucies eum hic, secus universa civitas cum eo peribit; video enim multitudinem propter eum dolere, maxime cum sit magnus stratelates Romanorum exercitus».

Tunc rex misit eum ferris vinctum ad Publium, Anatoliae praesidem. Scripsit ei epistulam, cuius exemplar ita erat : «Ego Diocletianus rex autocrator, scribo Publio praesidi. Iste, Theodorus scilicet, magnus stratelates Romanorum *exercitus, abiit ad Galileorum sectam, qui Christum colunt. Ecce misimus illum ad te. Igitur si obtemperaverit tibi sacrificando diis nostris, magnos honores accipiat; si autem in sententia[1] sua permaneat, praecipio tibi ut omnibus tribunalis[2] suppliciis in eum animadvertas, postremo vero vivum igne comburas». Cum autem S. Theodorus vinctus adductus fuisset ad praesidem, statutus est coram eo. Cum vero *is* legisset epistolam regis, iussit illum in carcerem duci ad paucos dies, quoadusque cogitasset quid ei facturus esset.

Beato autem Theodoro adhuc in carcere posito, Christus sanationes per eum operatus est, ita ut omnes homines qui infirmabantur in civitate, venirent ad eum, ut super eos oraret; *et* sanitatem recipiebant. Et ipse loquebatur cum eis de regno Filii Dei, et corda omnium sermonibus illius suavibus attrahebantur, cum viderent gratiam Dei, quae erat in ore eius, et virtutes atque prodigia, quae Deus per eum operabatur. Et omnes glorificabant Deum.

Dum igitur beatus adhuc in carcere esset, Dominus noster, I. Christus, apparuit ei, *et* dixit ei : «Salve, electe mi, Theodore, confortare, et viriliter age. Quemadmodum Diocletianum regem confudisti, ita oportet ut et impium hunc praesidem confundas per multitudinem cruciatuum, quos super te adducet; ad quos virtutem dabo tibi. Postea venio ad te cum gaudio, ut adducam te in regnum meum incorruptibile usque in aeternum». Cum autem Salvator haec dixisset ei, amplexatus est *eum, dedit ei pacem, *ac* sursum ad caelos abiit, S. Theodoro eum respiciente, in gaudio magno valde posito.

Post haec autem factum est, dum S. Theodorus adhuc esset in carcere, ministri responderunt, *et* dixerunt praesidi : «Usquequo

[1] γνωμη. — [2] δικαστηριον.

relinquis hunc hominem, Theodorum, in carcere, signa magna in nomine Dei sui operantem?» Dixit eis praeses : «Quare usque hodie in memoriam non revocastis mihi? verum adducite eum ad me ut interrogem illum utrum suasus sit sacrificare, an non». Cucurrerunt autem ministri, eduxerunt eum e carcere, collo eius quattuor collaribus[1] onusto, manibus post terga devinctis, pedibus pedicis ferreis constrictis, *et* statuerunt eum coram praeside.

Tunc ait praeses ad eum : «Sacrificabisne, an non?» Respondit S. Theodorus, *et* dixit ei : «Non sacrificabo; quod tibi placet fac mihi, o impie praeses. Habeo Dominum meum, I. Christum, qui auxiliatur mihi». Iussit praeses instrumenta omnia supplicii afferri, *et* poni coram eo, ut cum vidisset ea timeret, *ac* sacrificaret. Tunc ait S. Theodorus ad praesidem : «Etiamsi attuleris alia duriora his centuplum, non derelinquam Dominum meum, I. Christum, Deum meum bonum, ut idola tua impura manufacta adorem». Iratus est autem praeses, *et* iussit eum equuleo suspendi, *atque* cruciari, donec latera eius perfossa sunt, *et* omnia intestina eius effusa sunt. *Sanguis eius instar aquae fluebat, *et* nil erat in corpore eius, praeter ossa tantummodo.

S. vero Theodorus non respondit verbum ullimode, sed fortiter sustinebat, et psallebat, dicens : «Benedicam Dominum in omni tempore, semper benedictio eius erit in ore meo[2]». Et iterum : «Dominus est auxilium meum, non timebo quid faciat mihi homo[3]». Praeses autem iratus est valde videns constantiam sancti, et ait ei : «Non te pudet, o sceleste, hos cruciatus et has poenas pro homine, Iesu scilicet, suscipere, quem Iudaei male occiderunt?» Respondit S. Theodorus, *et* dixit ei : «O impie, fili diaboli, quem Deus perdet in spiritu furoris sui venturi, in loco quem Aeternus non visitabit unquam! Quare, o infelix, dereliquisti Deum qui te creavit, adorasti idola manufacta, *ac* dilexisti daemones magis quam Deum, in cuius manibus est halitus tuus? Vis, o maledicte, ut derelinquam Deum viventem, *et* adorem haec inanimata, surda, caeca sicut tu?» Tunc praeses iratus est valde, *et* iussit eum loris[4] extendi, ut nervis bubulis caederetur. Praeterea iussit sanctum pronum sterni, *et* super manus ac pedes a quattuor carnificibus caedi. Extendit eum sursum a terra duobus cubitis suspensum;

[1] κολλαριον. — [2] *Ps.* XXXIII, 2. — [3] *Ps.* CXVII, 6. — [4] λωρος.

*p. 173. iussit quattuor carnifices[1] *fustes aculeis plenos accipere; *et* ceciderunt super dorsum eius, donec carnes corporis eius super terram paullatim deciderunt.

S. autem Theodorus clamavit, dicens : «Domine mi, I. Christe, Deus meus, adiuva me in hac hora necessitatis». Statim ecce archangelus Michael venit de caelo, tetigit corpus S. Theodori, *et* sanavit eum a cruciatibus, quos carnifices attulerant ei. Beatus vero nobilis, S. Theodorus, factus est sicut qui e convivio surrexit, tanquam si nullum cruciatum omnino accepisset, per Christum confortantem eum, et psallebat dicens : «Qui confidunt in Christo, tanquam mons Sion[2] *sunt;* credidi enim ei, *et* misit angelum suum, salvavit me in pace et iustitia».

Publius autem praeses cum vidisset et hunc cruciatum ei non praevalere, ira repletus est valde, terrae pedem incussit dicens : «Ego faciam tibi pro sententia[3] tua mala, o immunde». Tunc iussit eum collocari super sedem ferream, *et* ignem immitti ei donec ignis totum corpus eius afficeret, *et* omnia membra eius adureret.

S. autem Theodorus Dominum deprecatus est dicens : «Domine mi, I. Christe, qui salvasti tres sanctos pueros de fornace ignis ardentis Nabuchodonosor regis, audi me quoque hodie. Qui liberasti Ioseph de multitudine tentationum, quae super eum venerunt, *p. 174. audi me quoque hodie. Qui *liberasti Danielem de lacu leonum, haud sinens eos illum ullimode tangere, *ac* cibasti eum prandio, in medio eorum positum, audi me quoque hodie. Qui liberasti Susannam de manibus transgressorum, qui falsum contra eam testati erant, ut eam peccato innoxiam iniuste occiderent, audi me quoque hodie. Qui fuisti cum Iudith, donec populum liberavit de manibus Holofernis, audi me quoque *hodie,* Domine, libera me a tormento horum cruciatuum; quia tu es quem decet gloria, et honor, cum Patre tuo bono, ac Sp. sancto, usque in saeculum saeculorum omnium. Amen».

Statim lampades ceciderunt de manibus carnificum; ecce vox de caelo facta est ad eum, dicens : «Vince, qui vicisti, confortare, qui confortatus es; virtus enim mea tecum erit, et nullum malum tibi appropinquare poterit, o Patri meo dilecte». Illico sursum exsiliit S. Theodorus, cucurrit, stetit coram praeside, *et* clamavit

[1] *δημιος.* — [2] *Ps.* CXXIV, 1. — [3] *γνωμη.*

dicens : «Confundaris, o impie praeses, tu ac mali exempli[1] reges tui; nam Dominus meus liberavit me a cruciatibus omnibus, quos super me adduxisti, quia in nomine sancto eius speravi». Praeses autem iratus est valde in furore magno, *et* ait ministris : «Quid faciemus huic scelesto? nam mandato dominorum nostrorum regum non obtemperat, et deos nostros gloriosos contemnit. En quot cruciatus super eum adduxi! *nec praevalui ei. Adlaboravi ut illi *p. 175. parcerem, si forte resipisceret, *ac* ab hoc nomine Iesu recederet, et non cessat[2]».

Insuper iussit praeses multa alia instrumenta supplicii afferri, terribiliora prioribus, *et* coram beato poni. Allata sunt autem caldaria[3] aenea, et sartagines ferreae, et gladii acuti, et crateres[4], et sextarii[5], in quos fundebantur decoctiones[6], ut forte cum ea cerneret, timeret. Cum vero nobilis ac fortis Christi athleta, S. Theodorus, vidisset ea, ait ad praesidem : «Omnia instrumenta haec supplicii, quae coram me posuisti, similia sunt mensae, omnibus bonis repletae, per eum qui me confortat, Dominum meum I. Christum, in quo semper spero». Iussit praeses beatum Theodorum super subsellium[7] ferreum collocari, duos longos clavos afferri, *ac* immitti eos in collum eius, donec per dorsum eius pertransierunt subter subsellium.

Tunc ait illi praeses : «Theodore, sacrificabisne, an non?» Respondit S. Theodorus, *et* dixit praesidi : «Ego habeo Dominum meum, I. Christum, qui auxiliatur mihi; ideo non timeo cruciatus tuos». Illico Dei virtus super sanctum consedit, clavi eruperunt e corpore eius, *et* praesidis collo infixi sunt. Ipse autem clamavit, dicens : «Domine mi, S. Theodore, adjuva me, quia vere vehementer crucior». Respondit beatus, fortis Christi martyr, **et* dixit ei : *p. 176. «Vivit Dominus meus, I. Christus! nisi confitearis non esse Deum in caelo neque super terram, praeter Christum Iesum, Theodori Deum, non sanaberis a cruciatibus istis». Statim praeses clamavit, dicens : «Non est Deus in caelo, neque super terram, nisi I. Christus, Deus S. Theodori». Respondit S. Theodorus, *et* ait illi : «Ego scio, o transgressor, te iterum abnegaturum eum : verumtamen sanabo te propter has turbas, hic adstantes, ut sciant non esse Deum,

[1] *σκανδαλον.* — [2] Ad litt. : «et non sufficit ei». — [3] *χαλκιον.* — [4] *κουμφος = κυμβος?* — [5] *κσεστης = ξεστης?* — [6] *σεμα = ζεμα?* — [7] *σεμψελιον.*

praeter I. Christum, christianorum Deum». Cum autem orasset S. Theodorus, statim clavi e collo praesidis deciderunt super terram, omnibus eos adspicientibus.

Respondit praeses, *et* dixit iis qui circa eum stabant: «O qualis mania christianorum! quanta magia est in hoc nomine Iesu! Sed istum de medio tollam, ne iterum magiam erga nos agat». Iussit eum vestibus exui, cingi, *et* ligno bifido suspendi, novaculis ferreis corpus eius membratim concidi, donec terra eius sanguine conspersa est, et caro eius munda defecit, ossibus tantummodo relictis.

S. autem Theodorus clamavit dicens : «Audi me, Domine mi, I. Christe, da mihi virtutem, ut impium hunc praesidem confundam, et glorificetur nomen tuum beatum; quia tua gloria est, atque potestas in aeternum. Amen». Statim ceciderunt novaculae de manibus carnificum, et manus eorum instar lapidum irriguerunt, *p. 177. *nec eas movere poterant. Tunc clamaverunt, dicentes: «Dominus noster praeses, hic, Theodorus, manus nostras obrigescere fecit; nescimus quid faciamus».

Cum autem cognovisset praeses se in nullo cruciatuum ei praevalere posse, tulit sententiam in eum ita dicens : «Theodorus, magnus stratelates Romanorum exercitus, noluit adorare deos iuxta dominorum nostrorum regum mandatum; sed unum Christum colit, quem Iudaeorum principes[1] occiderunt sub Pontio Pilato. Iubeo illum vivum igne comburi, ne christiani ullum membrum eius in aeternum reperiant». Et praecepit carnificibus ut multa ligna ex omnibus officinis congererent, ligna oxycedrina (?), et cypressus, et stuppam, atque sarmenta. Magna fossa ignis succensa est, ita ut flamma eius viginti cubitis adtolleretur. Iussit S. Theodorum proiici in medium ignis ardentis.

Cum autem venissent ut eum in ignem proiicerent, ipse rogavit milites dicens : «Sinite me prius Deum meum orare, antequam agonem meum absolvam». Et permiserunt ei. Statim faciem suam ad orientem vertit, *et* oravit ita dicens : «Gratias ago tibi, Domine mi, I. Christe, quia me dignum nunc effecisti pro nomine tuo sancto mori. Oro te, Domine mi, ut mecum sis in hac hora; quia hoc tempus est *p. 178. *ut nomen beatum tuum in medio universae turbae huius glorificetur. Oro te, Domine mi, I. Christe, ut mecum stes

[1] ραβδουχος.

in hac hora, donec in pace agonem meum absolvam; quia vere hoc tempus est et hora propter quam omnes hos cruciatus suscepi. Deus totius creaturae, ne discedas a me in hac hora terribili valde; quia vere non est qui auxilietur mihi, praeter te unum solum Deum, ut dignus efficiar ingredi in locum tuum requiei; quia tua est virtus, et gloria usque in seculum sæculorum omnium. Amen.»

Cum autem finem orandi fecisset, ait ad carnifices : «Venite, facite quod vobis mandatum fuit». Beatus vero, fortis Christi, S. Theodorus, solvit zonam suam, deposuit vestimenta sua; et singuli fideles corpus eius beatum tangere conabantur[1], priusquam in ignem proiiceretur. Statim manus eius post tergum eius ligarunt, et attulerunt instrumentum[2], volentes beatum in illud coniicere, antequam in ignem proiicerent eum. Respondit eis beatus, fortis I. Christi martyr, S. Theodorus : «Sinite me solum hoc modo. Qui toties dedit mihi virtutem atque constantiam, ipse est qui adhuc salvabit me, et mecum erit donec agonem meum absolvam; ipse quoque dabit mihi virtutem ut in hoc igne me contineam etiam si non me conieceritis in hoc instrumentum». Carnifices autem eum solum ligarunt; sanctus vero signavit scapulam suam[3] signo crucis. Postea proiecerunt eum * in ignem, tamquam *p. 179. ovem mundam, paratam offerri in sacrificium perfectum, incensum Deo placitum.

Martyr vero beatus, S. Theodorus, oculos suos sursum in caelum levavit in medio ignis, et ait : «Domine Deus Omnipotens, Pater Domini mei, I. Christi, Deus, quem unum agnovi, Deus virtutum, totius creationis Domine; Deus, qui magnam hanc constantiam concessisti mihi ad omnes istos cruciatus cum gaudio perferendos, benedico tibi, Here mi, quoniam me dignum effecisti in hac die et hora ut et ego sim in sorte sanctorum tuorum martyrum. Oro te, Domine mi, ut vitam aeternam des mihi in incorruptibilitate Spiritus tui Sancti, qui est in servis tuis. Benedico tibi, o bone Deus, et solus amator hominis, Invisibilis, qui mihi virtutem dedisti ut malum tyrannum vincerem. Gratias ago tibi, Domine Deus Omnipotens, et dilecto Filio tuo, I. Christo Domino meo, ac Sp. sancto usque in saeculum saeculorum omnium. Amen».

Cum autem orationem absolvisset S. Theodorus, flamma ignis

[1] Italice ad litt. : «facean del loro per toccare, etc.». — [2] οργανον. — [3] Quippe qui manibus a tergo devinctus erat. Textus : «alam» suam.

vehementer ardebat. Oculos suos sursum in caelum levavit, et ait : «Domine mi, I. Christe, accipe spiritum meum ad te in hac hora». Illico ignis factus est instar aquae frigidae corpori S. Theodori, nec ullo modo ei dolorem attulit, sed corpus eius valde vegetum erat tamquam si in ignem omnino proiectum non fuisset. 5

*p. 180. *Beatus igitur Christi martyr, S. Theodorus, in medio ignis positus erat non ut caro quae comburitur, sed instar panis mundi qui coquitur, virtute Christi quae cum eo erat. Tunc tradidit spiritum suum in manus Domini in pace. Et totus locus aromate repletus est, et quamplurimi beatorum adstantium viderunt animam 10 S. Theodori sursum in caelum elatam, in locum requiei iustorum cum omnibus sanctis.

Mulier autem quaedem, Eusebia nomine, in pietate vivens iuxta nominis suis interpretationem, serviens domino a pueritia sua, christianorum Deo omni tempore dans gloriam, petiit corpus 15 S. Theodori; *et* dederunt ei illud. Et decenter cum magno honore sepelivit illud syndonibus praetiosis, condivit illud multo aromate ac unguento praetiosissimo, erat enim dives valde, et posuit illud in arca, *et* aedificavit martyrion super illud in civitate Euchētos proprio aere pro salute animae suae, in quo agitur commemoratio 20 S. Theodori usque in hodiernam diem.

Et absolvit agonem bonum martyrii sui S. Theodorus stratelates, ac fortis, athlophorus, victor, Christi martyr, die xx[a] mensis epēp, immarcescibilem atque incorruptibibilem adeptus coronam in regno caelorum. *p. 181. *Assequutus est bravia, et electa certa- 25 minis praemia[1], et mansiones caelestes[2], quae in excelso sunt, atque tabernacula lucida laetitiae et exultationis, per Dominum et Deum ac Salvatorem nostrum, I. Christum, per quem omnis gloria, et omnis honor, et omnis adoratio[3].

*p. 182. Aliquid e virtutibus atque miraculis, quae Deus per S. Theodorum operatus est post consummationem eius martyrii beati, in pace Dei. Amen. 30

Audite etiam nunc quae Deus fecit per S. Theodorum stratelatem fortem regis Christi post consummationem eius martyrii beati. Quoniam igitur Deus dedit illi gratiam, magnam valde, ante-

[1] επαθλον. — [2] επουρανιον. — [3] Ita explicit.

quam consummaretur, et iterum post illius consummationem, nunc ergo, ob omnium desiderium erga ipsum S. Theodorum, loquor eis qui eum cognoverunt dum adhuc esset in corpore, et illis qui de eo audierunt, de virtutibus atque miraculis, quae per 5 eum ubique fiebant. . . . .

. . . .

. . . .

. . . . sculpserunt imaginem in domibus suis, et in officinis, et in omni loco publico, quo turbae in civitate conveniebant.

10 Civitatis autem optimates sculpserunt imaginem Salvatoris cum illa S. Theodori, *et* posuerunt eas iuxta civitatis tetrapylon, ut omnes civitatis habitatores, qui in Christum crediderant, cotidie mane surgentes, et ad tetrapylon abeuntes, adorarent Salvatorem et imaginem S. Theodori, ac sanctum rogarent ut deprecaretur 15 pro eis Dominum *et* auxiliaretur *eis; quia vere nondum ecclesia *p. 183. ampla aedificata ei fuerat.

Erat autem vir quidam in civitate illa, fidelis valde. Cotidie vero diluculo consurgens ibat ad tetrapylon ut oraret, dein oscularetur Salvatorem et imaginem S. Theodori. Et iterum marty- 20 rem deprecatus est, dicens : «Domine mi, S. Theodore, beate Christi martyr, roga Dominum pro me ut dirigat viam meam, sit mihi protectio *et* faciat mecum misericordiam, quia ego pauper et miser sum». Quadam die autem Deus S. Theodori suscepit viri deprecationem, concessit ei divitias magnas, *et ille* omnibus bonis 25 ampliatus est.

Post haec perforata est domus magni cuiusdam archontis civitatis huius *et* multae ex possessionibus eius sublatae sunt. Inquisierunt autem a magistratibus[1] civitatis; magistratus[2] civitatis inquisivit a custodibus. Postremo apprehenderunt hominem, cui 30 Deus divitias concesserat per preces S. Theodori, beati Christi martyris, dicentes : «Scimus hominem hunc pauperem fuisse ante hodie, et nunc nescimus quid negotii ei acciderit ut cito ita dives evaderet». Ita ambulaverunt cum homine illo, ut eum ad archontem ducerent.

35 Ubi autem ambulantes cum eo transierunt per tetrapylon, clamavit homo ille, ita dicens : *«Domine, Deus S. Theodori, *p. 184. adiuva me. Scis enim, Domine mi, quod ego omnem sollicitudinem

[1] προξιμος (*plur.*). — [2] προξιμος.

meam in te posui, et tu es qui fecisti mecum misericordiam, *ac* dedisti mihi has divitias. Insuper tu scis, Domine mi, me a furto huius hominis innoxium esse». Haec autem dicenti apparuit ei in via S. Theodorus sub specie magni stratelates regis, *et* ait ei : «O homo, agnoscis quisnam ego sim?» Dixit ei homo ille: «Minime, Domine mi». Ait ei beatus : «Ego sum Theodorus, in cuius nomine Deum quotidie deprecaris». Dixit ei homo : «Domine mi, martyr beate, adiuva me in hac hora necessitatis». Ait ad eum S. Theodorus : «Ne timeas, ego tecum sum».

Et post haec duxerunt hominem coram archonte; et archon interrogavit eum, dicens : «Indica mihi, ubinam has divitias invenisti? tu enim pauper et egenus eras». Dum autem homo in eo erat ut loqueretur *ac* rei veritatem archonti ostenderet, ecce S. Theodorus, fortis martyr, praetorii ostium ingressus est sub specie magni stratelates regis, in cuius manu erat tomarion chartae; gloria valde magna indutus. Archon autem cum vidisset eum, celeriter assurrexit, *et* honoravit eum, ac si esset stratelates regis. Respondit S. Theodorus *et* dixit praesidi : «Quaenam est causa huius hominis adstantis, cuius facies tristis est?» Dixit ei archon : «Adduxerunt illum ad me propter vasa cuiusdam *optimatis huius civitatis ut qui ea eripuerit». Respondit S. Theodorus *et* ait ad praesidem : «Ego hac nocte civitatem istam ingrediens, inveni latrones secum vasa dividentes. Cum me vidissent, sursum exilierunt, fugerunt, *ac* dimiserunt vasa. Ego autem accepi vasa, abscondi ea in loco quem nullus hominum novit». Ostendit vero eis vasorum numerum *ac* quid et quid essent.

Homo autem, cuius erant vasa, clamavit dicens : «Domine mi, stratelates, adiuva me, quia mea sunt vasa». Respondit S. Theodorus, *et* ait praesidi : «Dimitte hominem hunc; nullum peccatum habet. Venite post me, omnia vasa dabo vobis». Praeses autem dimisit hominem, *et* abiit post S. Theodorum, nesciens quod S. Theodorus esset. Tunc S. Theodorus dedit eis vasa omnia, deinde invisibilis factus est eis.

Dum autem homo ambularet, domum suam iturus, ecce S. Theodorus apparuit ei, *et* dixit ei : «Agnoscis me, o homo, quisnam ego sim?» Ipse vero ait ei : «Minime, domine mi». Dixit ei beatus : «Ego sum Theodorus, in cuius nomine Deum cotidie deprecaris ut sit tibi auxiliator. Nunc vero surge, vade ad topos meum, mane in eo, *ac* ministra infirmis, ut, cum e corpore exieris, Dominus reci-

* p. 185.

piat te ad se, *ac* det tibi requiem». Homo autem nuntiavit praesidi, ac multitudini universae : «Est Deus *cum S. Theodoro qui adiuvit me». Postea abiit ad topos S. Theodori, *et* ministravit ibi, serviens iis qui infirmabantur, usque in diem mortis suae. Et S. Theodorus intercessit pro eo apud Dominum nostrum, I. Christum. Omnes qui audierunt glorificarunt Deum S. Theodori, stratelates fortis.

Audite insuper hoc aliud miraculum quod factum est a Deo, ac S. Theodoro, forti Christi martyre. Iam antea dixi imaginem S. Theodori ubique fuisse positam, ob magnum quem erga eum habebant amorem.

Mulier quaedam extra horam surrexit, ivit ad balneum, ut se lavaret. Nullus cum ea erat, praeter balneatorem[1], qui cum vidisset eam, desideravit esse cum ea; nam diabolus incenderat cor eius erga eam desiderio malo. Ipse autem apprehendit eam, volens eam subiicere. Cum amplecteretur eam, et ipsa agnovisset eum rem hanc illicitam velle sibi facere, statim ad auxilium Dei confugit, oculos suos sursum in caelum levavit, *ac* Deum deprecata est ut eam salvaret. Adhuc orans respexit, *et* vidit imaginem S. Theodori in pariete balnei ad vivum expressam cum dracone sculpto sub pedibus eius, ac lancea eius capiti illius infixa. Ipsa vero clamavit, dicens : «Domine mi, S. Theodore, beate Christi martyr, adiuva me in hac hora necessitatis; quia vere tu scis, domine mi, *me corpus meum cum alieno viro polluisse nunquam».

Statim Deus orationem eius audivit, misertus est eius, imperavit draconi sub pedibus imaginis S. Theodori sculpto, *qui* evasit ingens serpens niger vivus, descendit, corripuit ore guttur balneatoris, nec os suum inde avellit donec ille tradidit spiritum. Et mulier, cum liberata fuisset per miraculum quod factum est ei, exivit illaesa, nunciavit in universa civitate quae sibi acciderant, et quomodo dracon interfecisset balneatorem. Omnes autem civitatis homines, cum audissent haec a muliere, concurrerunt ad balneum, *et* invenerunt balneatorem mortuum, guttur eius dracone corripiente. Dein respexerunt in imaginem S. Theodori, *et* non invenerunt draconem sub pedibus eius. Itaque omnes dederunt gloriam Deo ac S. Theodoro.

Audite insuper et hoc aliud miraculum magnum, quod factum est a Deo, et S. Theodoro, forti Chisti martyre. Postquam autem mulier famam S. Theodori divulgasset ob miraculum quod sibi per

* p. 186.
* p. 187.

[1] ϖερεχητης = ϖαραχυτης.

eum acciderat, factum est post haec, illa in domo sua hora meridiana sedente, surrexit diabolus, assumpsit speciem hominis mendici, abiit ad domum mulieris, *et* pulsavit velut eleemosynam petiturus ab ea. Mulier autem vocavit eum intus : «Sede, pater mi, 5 donec veniant qui necessariis sunt praepositi, ut dent tibi quod *p. 188. vis». Improbus vero daemon coepit *coram ea speciem suam paullatim immutare. Mulier autem Dei amatrix animadvertit esse diabolum. Statim clamavit dicens : «Deus S. Theodori, adiuva me in hac hora necessitatis». Tunc improbus daemon transformavit se, 10 factus est instar magni Aethiopis facie, bestiae graveolentis; insiliit in mulierem, *et* suffocavit eam dicens : «Ego ostendam quisnam sit et ipse Theodorus». Dum autem suffocaret eam, ecce S. Theodorus stetit supra illam in magna gloria. Diabolus vero, cum vidisset eum, timuit, formam suam immutavit, ac viri in 15 dignitatibus constituti speciem sumpsit. Ait illi S. Theodorus : «Quisnam es tu hoc modo, o immunde, quia vis tentare famulas Christi?» Dixit ei diabolus : «Adiuro te per Christum, o domine mi, ne me perdas ante tempus meum; iam enim magnam virtutem meam interfecisti, eum qui erat mihi instrumentum et mansio 20 mea, magnum scilicet draconem, quem in Euchētos interfecisti». Haec autem cum dixisset, statim invisibilis factus est. Sanctus autem Theodorus benedixit mulieri, confortavit eam, *et* invisibilis factus est ei. Mulier vero narravit hominibus ea omnia, quae sibi acciderant. Omnes qui audierunt dederunt laudem Deo. Mulier au- 25 tem dimisit cunctas substantias suas, abiit ad topos S. Theodori, ministravit infirmis usque in diem mortis suae, perfecta evasit mulier ob magnam fidem suam in Deum et S. Theodorum, atque ita requievit in pace. S. Theodorus intercessit pro ea.

*p. 189. *Narrabo vobis et hoc aliud magnum miraculum, quod factum 30 est a Deo, et S. Theodoro, forti Domini nostri I. Christi martyre. Vir autem quidam, cum vidisset virtutes ac miracula quae per S. Theodorum fiebant, dimisit quidquid habebat, abiit ad martyrion beati, *et* ministravit iis qui in eo infirmabantur, exercitationes multas ac preces agens. Cum vero in multis laboribus perseve- 35 raret, Deus S. Theodori audivit precem eius, *et* sic inspiravit cor eius : «Surge, peccata omnia, quae a pueritia tua usque hodie commisisti, scribe in tabula[1], *et* pone eam sub altare in loco quem

[1] πετλακιον.

nullus hominum novit. Quando Dominus ea dimiserit tibi, invenies ea e tabula deleta». Vir autem fecit ita, ac Deum S. Theodori diu noctuque pro remissione peccatorum suorum deprecabatur.

Quadraginta post diebus, ex quo tabellam deposuit, deliberavit 5 in corde suo : «Sine videam num Deus misertus sit mei, an non». Cum appropinquasset ut negotium cerneret, invenit ea omnia deleta, praeter occisionem quamdam, quam fecerat. Vir autem fuit in dolore cordis, et in tristitia magna, ac gemitu multo; stetit neque manducans, neque bibens, donec defecit viribus, nullo modo surgere 10 valens, *ac* degens in angustia cordis multa valde propter huiuscemodi rem. Et Deus, amator hominum, *voluit misereri eius per *p. 190. preces S. Theodori, fortis martyris, maxime cum videret viri angustiam, et cruciatus eius, et exercitia laboriosa, quae agebat cum contentione.

15 Quadam igitur die, dum vir noctu vigilaret in topos, Deum ac S. Theodorum orans, somnus oppressit eum. Vidit in visione bonum Salvatorem nostrum, et Mariam matrem eius, qui, ingressi martyrion S. Theodori ut visitarent infirmos qui erant in topos, et sanarent eos, ad altare sanctum abierunt. Vidit S. Theodorum 20 orantem Salvatorem ac Deiparam beatam Mariam, *et* dicentem : «Domini mei, miseremini huius hominis, ut requiescat ab angustia sua, et afflictione sua, et cruciatu quo opprimitur». Atque ita Salvator bonus excepit precem S. Theodori. Praecepit Dominus S. Theodoro ut hominem illum ad se adduceret. Homo autem ado- 25 ravit Dominum et Mariam matrem eius.

Praecepit Dominus, *et* adduxerunt animam hominis, qui violenter occisus fuerat; quae cum venisset coram Salvatore, clamavit dicens : «Audi me, Domine mi, miserere mei, vindica[1] sanguinem meum cum eo qui illum effudit iniuste». Respondit Salvator, *et* ait 30 S. Theodoro : «Electe mi, Theodore, veni, audias quid dicat anima ista, veni ut iuste iudices. Num tu magis misericors quam ego? num tu *melior me, atque Patre meo? num potes misereri ima- *p. 191. ginis meae ut ego? num iustum est ut aliquam iniuriam inferam? Nonne ego sum qui statui iustum ?» S. autem Theodorus adoravit 35 Dominum dicens : «Scio Domine mi, voluntatem tuam in misericordia omni tempore esse; propterea quidem deprecor te, o universalis Dominator, ut amborum miserearis». Respondit Salvator

[1] Ad. litt. : «iudica».

bonus, dicens S. Theodoro : «Iam ab initio per Moysen servum meum locutus sum : 'Oculum pro oculo, manum pro manu, dentem pro dente, simpliciter, animam pro anima[1]'; igitur nisi sanguinem illius effuderint pro eo[2], non erit illi remissio[3]». Post haec homo sursum evigilavit a visione.

Deus autem bonus per intercessiones S. Theodori induxit in animum praesidis inquirere de occisione quam homo patraverat; itaque apprehendit *praeses* nonnullos homines, ab occisione illa hominis innoxios, *et* excruciavit eos. Igitur ob multitudinem cruciatuum qui eis illati fuere confessi sunt : «Nos sumus qui occidimus illum». Cum confessi fuissent, sententiam in eos tulit ut capite obtruncarentur ore gladii. Illico S. Theodorus apparuit homini, *et* ait ei : «Amice, quid agis[4]? Si vis ut dimittatur tibi, ecce dimissionis tempus advenit; cras igitur surge mane, accede ad praesidem, occisionem confitere quam patrasti, ut sanguis tuus quoque fundatur, *loco sanguinis quem fudisti; hoc modo misericordiam consequeris».

Homo autem cum mane surrexisset, oravit, signavit seipsum, ivit ut impleret quae sibi imperata fuerant a Domino, et accedens ad praesidem, clamavit dicens : «Audi me, domine mi praeses; nam homines isti, in quos sententiam tulisti, mundi sunt ab hac occisione. Ego sum qui occidi hominem eum, et ut vere scias me occidisse eum, praecipe ut verum dicam tibi, ostendamque tibi locum corporis eius, ac vasa, quorum causa occidi eum. Hi autem locum eius ignorant; si cognoscunt, ostendant tibi corpus eius; sin non, veni post me, ego locum eius ostendam tibi». Praeses vero haec audiens miratus est super verba hominis, dein interrogavit eum : «Quaenam tibi causa est ut sponte huc veneris, nemine te accusante, sed tu tantummodo temetipsum accusas, dum qui tradendi sunt mihi huc multas pecunias dare solent ut a cruciatibus liberentur?» Homo autem ostendit praesidi ac turbae universae quae sibi acciderant, et verba omnia quae ad eum S. Theodorus locutus est. Statim praeses sententiam in eum tulit ut illius caput auferretur, homines vero alios in pace dimisit.

*Cum autem eo loco ductus esset quo caput eius ablaturi erant, oravit, signavit se, dein collum protendit : *et* ei caput abstulerunt.

[1] Cf. *Deut.*, XIX, 21. — [2] Homine scilicet qui iniuste occisus fuerat. — [3] μετανοια. — [4] Italice ad litt. : «Che sedi (stai) a fare?»

Et omnes qui ad eum convenerant testati sunt, dicentes : «In illa hora odoravimus aroma, quo nullum praetiosius est super terram». Ac insuper multi fideles confessi sunt testantes omnibus : «Vidimus S. Theodorum amplectentem hominem, qui *iuste* occisus fuerat, ac dicentem ei : 'Ne timeas, quoniam vere Deus tibi remissionem peccatorum tuorum largitus est; accepisti a Christo petitionis tuae adimplementum'.»

Post haec Dominus praecepit animae hominis, qui violenter occisus erat; venit illa tres coronas manu ferens, porrexit eas S. Theodoro, *qui* posuit eas super caput hominis, quem *iuste* occiderunt, unam quidem propter eius exercitationes et cruciatus quos suscepit, aliam propter eius constantiam ac substantias quas dimisit, et aliam propter sanguinem eius qui effusus est. Ita amborum animae se invicem amplexatae sunt, cum homo a peccatis suis absolutus esset, requiem consequutus per preces S. Theodori, fortis Domini nostri I. Christi martyris. Et omnes, qui audierunt, dederunt gloriam Deo ac S. Theodoro.

Audiatis et hoc aliud miraculum magnum, quod factum est a Deo, et S. Theodoro, beato Christi martyre. Erat vir quidam Iudaeus, Apollōphanēs nomine, legem Moysis *ac scientiam oraculorum[1] prophetarum egregie doctus, multas misericordias cum egenis faciens. Hicce igitur vir in corde suo statuit pergere ad topos S. Theodori, dicens : «Ecce audio de virtutibus atque miraculis, quae a S. Theodoro fiunt; si perrexero ad topos eius, *et* quoddam signum suum patefactum mihi fuerit, christianus evadam *et* remanebo ministrans ad topos eius usque in diem mortis meae».

Quadam autem die factum est, dum synaxis in martyrion S. Theodori ageretur, surrexit vir Iudaeus, abiit ad topos, iunxit se multitudini, nemine eum agnoscente, extendit manus suas sacerdoti, accepit corpus Christi. Illud tamen non manducavit, sed seorsim se retraxit solus, consideravit illud, invenit carnem vivam effectum esse. Timuit vero, ambigebat valde, nesciens quid faceret. Statim autem apparuit ei S. Theodorus qui ait ei : «O homo, quid prodest ut tentes Deum? Nonne in lege scriptum est : 'Non tentabis Dominum Deum tuum[2]?'». Rursum dixit ei S. Theodorus : «Scisne quisnam ego sim?» Respondit vir Iudaeus : «Minime, Domine mi». Ait ei vir sanctus : «Ego sum Theodorus,

[1] προφητια. — [2] *Deut.*, VI, 16.

huius martyrion pater; nonne ego novi cogitationes omnes, quae venerunt super cor tuum? Igitur vide quid agere velis, ut salvus sis». Respondit vir Iudaeus, *et* ait S. Theodoro : «Rogo te, *pater domine mi, ostende mihi quo pacto me agere oporteat ut salvus fiam una cum omnibus, qui in domo mea sunt». Dixit ei S. Theodorus : «Mysterium hoc, quod est in manibus tuis, ne comedas cito, nondum enim dignus es comedere illud, at cum dignus effectus fueris absque prohibitione de eo comedes. Vade, trade illud sacerdoti, et narra ei quae in corde tuo sunt, et quae ego ostendi tibi. Postea veniam iterum ad te, et in fide bene te confirmabo, et ostendam tibi quo pacto salvus fies cum domo tua universa». Et signavit eum S. Theodorus, *ac* recessit ab eo.

Apollōphanēs autem expectavit quoadusque synaxis absoluta fuerit; *tunc* accessit ad sacerdotem, *et* dixit ei : «Pater mi, accipe hoc mysterium, non est illud quod in corde meo putabam»; et omne negotium ostendit ei. Presbyter vero accepit mysterium sanctum, quod manisfeste corpus erat; miratus est valde de eo quod acciderat, et omnes qui audierunt, dederunt gloriam Deo. Presbyter autem benedixit illi, *et* dimisit eum illa die. Vir autem Iudaeus abiit in domum mam, nuntiavit uxori suae omnia quae sibi acciderant, et quomodo S. Theodorus ei apparuerat secum colloquens.

Mulier vero ait ei : «Vivit Dominus, frater mi, modo S. Theodorus finem fecit loquendi mecum de salute mea»; et ostendit ei speciem qua apparuit ei, dicens : «Apparuit mihi modo veste stratelatis indutus, decorus valde : non est similis ei *inter omnes* *in dignitatibus *constitutos* qui sunt super terram; coma eius rubra erat ad flavum accedens[1], barba eius deorsum acuminata erat; specie sua valde pulcher». Cum haec audisset, Apollōphanēs credidit vere S. Theodorum, martyrem beatum, esse qui apparuerat illi, et cum ea locutus fuerat.

Post haec surrexerunt simul ipse, et uxor sua, et duo filii eius, abierunt ad S. Theodori martyrion. Sacerdos erudivit eos, deinde baptizavit eos in nomine Patris, et Filii, et Sp. sancti, *et* acceperunt remissionem peccatorum suorum. Et post baptisma sanctum manserunt VII diebus in martyrion, audientes quotidie sermones beatos. Postea quidquid eis erat, pauperibus ac miseris disperserunt,

[1] Ad litter. : «flavo-rubra».

*p. 195.
*p. 196.

praeter pauca quibus opus habebant; abierunt ad topos S. Theodori, ministrarunt iis qui ibi infirmabantur, usque in diem mortis suae. Apollōphanēs autem presbyter ordinatus est, filiorum eius alter diaconus, alter vero anagnostes factus est. Ita evaserunt homines perfecti, ut omnes quavis infimitate laborantes, quibus manus imponerent, super eos orando, statim sanarentur.

Audiatis et hoc aliud magnum miraculum quod factum est a Deo ac S. Theodoro, forti Domini nostri I. Christi martyre.

Factum est autem quadam die, vir quidam vovit oblationem ad topos S. Theodori deferre; itaque *accepit eam, et abiit cum ea. Dum iter ageret, improbus diabolus, omnis boni inimicus, speciem monachi assumpsit, ac si et ipse ad topos iret oraturus. Vir occurrit ei, *et* ambulavit cum eo. Invidus vero inimicus fefellit hominem, *et* duxit eum in desertum locum, *ubi* magnum draconem confecit, *qui* exivit ab eo, insiliit homini ad eum devorandum, ut donum hominis, eiusque erga S. Theodorum amorem destrueret. Homo autem cum vidisset draconem, sibi insilientem, clamavit magna voce dicens : «Deus S. Theodori, adiuva me in hac hora necessitatis; scio enim, Domine mi, te a me non longe abesse, sed propinquum esse omnibus in toto corde suo ad te clamantibus».

Cum autem haec diceret, ecce S. Theodorus supra eum stetit, equo suo insidens, manu hastam tenens; draconis caput lancea sua transfodit, interfecit eum, reliquit eum iacentem mortuum. Diabolus autem speciem suam immutavit , ursus instar factus est, *et* clamavit dicens : «Rogo te, Domine mi stratelates, ne me ante tempus meum perdas»; ac statim invisibilis factus est. Post haec vero S. Theodorus benedixit homini, *ac* sursum ad caelos ab eo recessit. Vir autem abiit ad topos S. Theodori, narravit populo[1] omnia quae sibi facta fuerant ab inimico, et quomodo S. Theodorus auxiliatus esset *ei, interficiens draconem. Omnes qui audierunt dederunt gloriam Deo.

Volebam quidem, dilecti mei, enarrare vobis virtutes omnes ac miracula, quae Deus per S. Theodorum, beatum Christi martyrem, fecit, quae oculis meis vidi, et auribus audivi, ego infimus Dionysius draconarius; quoniam cum S. Theodoro versatus sum, in uno consortio cum eo positus. Modo *tamen* sermonem hic absolvamus, propter nonnullorum incredulitatem, *et* demus gloriam Domino

[1] λαος.

*p. 197.
*p. 198.

et Deo, ac Salvatori nostro I. Christo, per quem omnis gloria, et omnis honor et omnis adoratio decet Patrem cum eo, et Sp. sancto vivificante atque consubstantiali illi, nunc et semper et usque in saeculum saeculorum omnium. Amen.

Crux. Benedictio S. Theodori sit cum omnibus nobis. Amen. 5

Deus, qui suscepisti ad te dona Abel iusti, et sacrificium patris nostri Abraam, nunc Dominus noster bone et amator hominum, *suscipe* hoc memoriale ab *isto qui est* peccator prae omnibus creaturis, *qui* cinis et terra *est*, qui non est dignus vocari nomine, quo vocaverunt eum, scilicet monachus Ḥairon, filius spiritualis scribae Ifi, et filius, secundum carnem, 10 Iusti patris eius, et Mariae matris eius, incolarum Shoū iuxta patriam suam, ut Dominus det requiem animabus eorum in tribunali suo tremendo, ut faciat *misericordiam cum filiis eorum post eos, det illis intelligentiam in sapientia omni tempore, et faciat misericordiam suam magnam cum eis in rebus necessariis[1] huius mundi; et cum transierint ex hoc mundo 15 tamquam ex somnio, Deus faciat misericordiam suam magnam cum eis in tribunali suo tremendo. Amen.

*p. 199.

[1] χρια.

IX

Die xxiv^a^ Epēp. *p. 200.

Martyrium sancti Domini nostri I. Christi martyris beati Apa Anūb de Naēsi, in nomo Nimešoti, qui agonem suum beatum absolvit die xxiv^a^ mensis Epēp, in pace Dei. Amen.

5 Factum est autem in regno Diocletiani, diabolus errare fecit cor eius a Deo caeli, et coluit *Diocletianus* idola manufacta. Et statuit Armenium *praesidem* super Racoti, misitque ad omnia loca praesides, et duces, et eparchas et stratelates, et milites, a Romania usque Pilach (Philae), quae est extra Aegyptum[1], ut christianos 10 omnes interficerent. Diocletianus autem, impius rex, fecit LXX deorum simulacra, *et* ipse vocavit ea deos, qui dii non sunt, XXXV masculos, et XXXV feminas. Primus eorum est Apollo, deinde Iupiter, et Artemis, ac reliqui dii omnes.

Et iussit multitudinem universam sacrificia eis offerre, et everti 15 cunctas ecclesias quae ubicumque erant. Et promulgavit edictum[2] in toto orbe ad eos qui erant sub eius dicione, ita exaratum : «Ego Diocletianus rex promulgo *edictum* in universo regno meo. In hora qua edictum[2] meum ad vos pervenerit, ac illud legeritis, sive dux, sive praeses, sive stratelates, sive eparcha, *sive comes, 20 sive tribunus, sive miles, sive paganus, sive episcopus, sive presbyter, sive diaconus, sive hypodiaconus, sive anagnostes, sive lector, sive psalmodos, sive monachus, sive laicus, sive masculus, sive femina, sive parvus, sive magnus, uno verbo omnes, qui sub ditione universi regni mei sunt positi, colant deos meos, quos ego 25 statui, Apollinem, et Iovem, et Artemidem omnium deorum matrem. Qui inobedientes fuerint edicto quod promulgavi, potestas vobis in eos data est ut male excrucietis eos, ac faciatis eis quodcumque vobis placuerit, postea eorum caput in ore gladii auferatis, et eorum corpora igne comburatis ita ut in aeternum non reperiantur». 30 Cum Diocletianus rex hoc edictum[3] scripsisset, promulgavit illud in toto orbe in furore magno ac in ira diaboli positus. Cumque scripta perlata fuissent Racoti ad Armenium comitem, tradita ei fuere. Cum autem accepisset ea, osculatus est ea et iussit praeconem

*p. 201.

[1] Chemi. — [2] διαταγμα. — [3] προσταγμα.

clamare in universa civitate, et congregati sunt omnes, legitque eis scripta regis. Magna autem perturbatio facta est in tota civitate, et offerebant sacrificia, donec universa civitas obscurata est, ita ut odor sacrificiorum aerem infecerit. Multi insuper Christum confessi sunt, *ac* interfecti sunt, *et* coronam immarcescibilem acceperunt. 5

Post haec autem accepit scripta Euhios stratelates, * ingressus est Athrēbi, ad Cyprianum praesidem, *et* tradidit ei scripta, *Cyprianus* legit ea; primum abiit in templum cum stratelate, *et* adoraverunt Apollinem, et Artemidem, ac totam noctem transegerunt, manducantes una simul atque bibentes. Cum autem factum 10 esset mane, comprehenderunt multos, *et* coniecerunt eos in carceres civitatis propter nomen Christi. Apprehenderunt autem adolescentem pulchrum, xx annos natum, nomine Sergium, filium Theodori scholastici, fratris Cypriani, praesidis Athrēbi, duris cruciatibus excruciaverunt eum propter nomen Christi Iesu, cum alio, sene 15 presbytero Apa Menesōn et Apa Plōū, fratre eius, et quodam alio Paēsi, et fratribus eius, et Geōrgi, et Ioanne, et Isidoro, et Pišoi, et Apa Crağōn, et Sarapamone, et Iohanne, et Zacharia, et Pithōš, et Macari, et Iacōb, et Tūroda, et Apolline, et Amūn, et Dioscoro, et aliis multis animabus, quas non cognovimus quaenam essent. 20 Cum autem finem fecissent excruciandi eos, ferris ligarunt eos, *et* coniecerunt eos in carcerem propter nomen Christi, erant DCCCL animae, quia non sacrificaverant diis; et deliberabant quidnam facerent eis.

* p. 202.

Post haec autem erat vir quidam, Dei amator, beneficus[1], *et* 25 amator Ecclesiae in pago Naēsi, in nomo Nimešoti, nomine Macari. Nomen uxoris suae erat Maria. Degebant in amore Dei, *et* Deus diligebat eos propter eorum puritatem. * Habebant filium unigenitum[2], praeter quem nullus alius erat eis, et diligebant eum valde, plus quam suam ipsorum vitam. Paucis vero post diebus 30 mortui sunt pater eius ac mater eius[3], *et* planxit eos per dies multos. Nomen autem adolescentis erat Anūb. Erat pulcher valde, humilis, mitis, modestus[4], perfectus. Hic autem XII annos natus erat.

* p. 203.

Accidit autem ei quadam die solemni (?) christianorum, cum ritum sanctum agerent in Ecclesia, sacrificium[5] sanctum offerentes, 35 accepit de mysteriis sanctis adolescens. Et presbyter locutus est

[1] Ad litt. : «amator charitatis» (αγαπη). — [2] μονογενης. — [3] Ad litt. : «requievit pater eius et mater eius». — [4] επιεικης. — [5] αναφορα.

ad universum populum dicens : «Patres mei[1], ecce audivimus diabolum surrexisse adversus Ecclesiam ad abolendum verum cultum patrum nostrorum, corporis *nempe* et sanguinis Domini nostri I. Christi. Igitur filii mei dilecti, qui hodie me auditis, unusquis- 5 que sit firmus et patiens in fide orthodoxa et in dono baptismi quod accepimus; sermones falsi non decipiant nos, nec abnegemus nomen suave Domini nostri I. Christi. Non timeamus tormenta transitoria, ne supplicium Amenti haereditet nos. Gloria huius mundi peritura non auferat a nobis magnam gloriam regni caelorum. 10 Non timeamus ignem mundi huius, ne ignis gehennae, et vermis, qui non moritur, et stridor dentium haereditent nos. Sciatis, filii mei, * hanc esse diem ultimam, in qua de mysteriis sanctis benedictionem sumemus (communicabimur). Igitur, o filii mei, o vos qui me nunc auditis, beati qui accipient coronam in caelis!» 15 Cum senex presbyter haec dixisset, dedit eis pacem, et unusquisque abiit in domum suam cum magna tristitia cordis propter magnam procellam, quae adversus christianos omnes surrexerat.

* p. 204.

Adolescens vero Anūb paullulum de substantia parentum suorum reliquerat sibi ut ea viveret, nam parentes eius opibus abundabant. 20 Adolescens abiit in domum suam, nec manducavit, nec bibit, praeter benedictionem (communionem) quae in eius ore erat. Accepit aurum et vestes praetiosas, eaque coram se in medio domus suae posuit, *et* ait : «Scriptum est : 'Aurum putrescit, argentum aeruginat *et* vestimenta tineis corroduntur[1]'. Et insuper : 'Mundus trans- 25 ibit et concupiscentia eius, et omne quod in eo est; qui autem facit voluntatem Dei, manebit in aeternum[2]'».

Tunc omnia quae habebat dispersit pauperibus ac egenis civitatis suae. Et surrexit Apa Anūb, de ostio domus suae egressus est, extendit manus suas, faciem suam ad orientem vertit, *et* ait : 30 «Domine mi I. Christe, Fili Dei vivi, quemadmodum ostium domus meae apertum dereliqui, *et* ambulavi post te in toto corde meo, deduc me ad locum praesidis. Mitte mihi angelum tuum lucis ut stet mecum et roboret me ad superandos cruciatus * tribunalis. O Domine mi, I. Christe, mitte mihi Michaelem archange- 35 lum, ut ducat me ad locum praesidis, et det mihi ostium sermonis ut loquar veritates tuas coram regibus, et praesidibus; quia tua gloria est cum Patre tuo bono, et Sp. sancto in aeternum. Amen».

* p. 205.

[1] Cf. *Addenda* ad textum. — [2] IAC., V, 2, 3. — [3] I IOH., II, 17.

Cum autem haec dixisset, ambulavit solus ad austrum iuxta flumen, donec venit Gemnūti; cumque urbem ingressus esset, invenit ecclesias *christianas* eversas, ac templum erectum fuerat idolis, quae colebantur, *et* coepit pavere. Ambulans vero in civitate audiebat eos exprobrantes Domino nostro Iesu, nec non illis qui colebant eum. Et quaerebat quodnam esset nomen praesidis civitatis huius. Ostenderunt ei *dicentes* : «Lysias[1] est praeses super eam». Et sustinuit die illa, donec vespere factum est. Et cum nox facta esset, surrexit, extendit manus suas *et* oravit dicens : «Deus misericors et longanimis, cuius misericordia multa est, et iuste, qui accipis ad te peccatores omnes, quorum ego primus sum; qui fecisti angelum tuum ante tres magos ambulare, ut afferrent tibi munera; qui audisti Eliam, *et* ignem de caelo olim misisti; qui audisti patrem nostrum Adam, *et* iterum ad paradisum reduxisti eum, audi et me nunc, mitte mihi angelum tuum lucis ut roboret me *usque* ad effusionem sanguinis mei».

Adhuc autem sancto Apa Anūb orante, ecce archangelus Michael descendit de caelo; totus locus *solis instar resplenduit; statim cecidit in faciem suam adolescens, et factus est tamquam mortuus. Et Michael tetigit eum, erexit eum et confortavit eum dicens : «Ave! bone adolescens, Anūb, ave! a Deo; o vir amabilis, confortare et viriliter age. Ego sum Michael, archistrategus exercitus caelorum; Dominus misit me ad te ut roborem te ad agonem. Cras, cum surrexeris, vade ad hunc praesidem *et* annuntia nomen Christi. Tribus diebus excruciaberis in hoc loco; ego roborabo te, *ac* sanabo corpus tuum. Et ducent te ad austrum in Athrēbi ut excrucient te. Confundes Satanam et daemones eius malos. Ego tecum ero in omni loco quo ibis». Haec autem cum dixisset ei archangelus Michael, dedit ei pacem, *et* abiit sursum ad caelos in gloria, sancto respiciente eum.

Cum vero lux orta esset, surrexit amabilis Apa Anūb, abiit ad locum praesidis, invenit eum tribunal stravisse iuxta ostium templi. Et prius *quam interrogatus fuisset*, clamavit voce magna, dicens : «O Lysias praeses, ego credo in Dominum meum I. Christum; quod tibi placet fac mihi cito, quia non adorabo idola tua impura. Attonitus respexit praeses in adolescentem *et* ait illi : «Undenam es tu, o adolescens obscure? Vel quis est qui adduxit te huc? Quia vere

[1] Sic; postea ubique «Lusias».

* p. 206.

*nondum lux bene orta est». Respondit sanctus Apa Anūb *et* ait praesidi : «O stulte et insipiens tu cum Apolline quoque tuo, ecce audivi te exprobrare Domino meo I. Christo, et interficere eos qui colunt eum, *ac* de terra mea egressus sum, *et* veni huc, sanguinem meum pro nomine Domini mei, I. Christi, effusurus, qui creavit caelum, fundavit terram, mare, et ea que in eo sunt ipse creavit; creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam; aves et belluas et reptilia ipse creavit. Sed tuus Apollo surdus, caecus, inanimis, virtutem non habet semetipsum salvandi, ut alios salvet. Quod tibi placet, fac mihi; quia non adorabo deos tuos abominandos».

Dixit praeses S. Apa Anūb : «Undenam es tu? et quodnam est nomen tuum, qui ita loquax es absque timore?» Respondit nobilis Christi A. Anūb *et* dixit ei : «O impie, audi me ut ostendam tibi undenam ego sim. Ego sum Naēsiensis, in nomo Nimešōti; Anūb est nomen meum, quod parentes mei imposuerunt mihi. Cum autem venissem huc, vocatus sum servus Christi. Ecce paratus sum cruciatus tuos perferre per eum, qui me confortat, Christum. Vae tibi, o infelix! Vae omni homini, qui adoraverit idola tua! Vae scandalo, et ei per quem scandalum veniet[1], tibi nempe et impio regi tuo tecum, et idolis tuis, et iis qui colunt ea!» Iratus est praeses *et* ait : «Equidem video *quod* tu *adolescens pulcher sis, nec poteris ullum cruciatum sustinere; profecto si vel unum ictum dedero tibi, non addam dare tibi secundum. Si obtemperaveris mihi, faciam te filium meum, magnum te efficiam in eparchiis meis, *et* multi honorabunt te propter me. Si adoraveris magnum deum Apollinem, sumam tibi sponsam tuam».

Dixit ei sanctus : «Dominus meus I. Christus maledicat tibi et Apollini tuo lapideo, *ac* insipienti». Illico ira repletus est praeses, iussit comprehendi S. Apa Anūb. Supinum straverunt eum, ac ceciderunt super ventrem eius quattuor carnifices, bini cum binis alternantes, donec interiora eius de ventre eius egressa sunt, et ossa pectoris eius confracta sunt; ita ut intestina eius effusa fuerint. Beatus vero magnum edidit clamorem, dicens : «Audi me, Domine mi, I. Christe, oculus qui videt, et auris quae audit. Qui venisti in mundum, *et* dolores omnes suscepisti pro salute generis hominum; qui mortem suscepisti, immortalis et incorruptibilis, gustasti mortem pro nobis propter peccata nostra; surrexisti tan-

[1] Mt., xviii, 7.

* p. 207.
* p. 208.

quam fortis vino ebrius qui potens est[1]. Audi me quoque, Domine mi, in his cruciatibus propter nomen bonitatis tuae positum. Tua est gloria cum Patre tuo bono, ac Sp. sancto usque in aeternum. Amen».

Cum complevisset Amen S. Apa Anūb, ecce beatus archangelus Michael de caelo descendit, splendentem coronam *manu deferens, *et* ait iusto Apa Anūb : «Confortare, et viriliter age, o Deo dilecte, o tu qui imposuisti tibi crucem tuam, *et* secutus es Dominum tuum sponte. Ego sum archangelus Michael, qui sto a dextris Dei omnipotentis; ego sum qui martyres omnes roboro ut accipiant coronam suam. Ego sum qui iustos omnes et anachoretas roboro ut absolvant suam conversationem[2]. Ecce vides coronam tuam splendentem in manibus meis, ut ponam eam super caput tuum beatum». Statim duxit manum suam super totum corpus eius, *et* sanavit eum. Et factus est tanquam si nullo modo excruciatus fuisset. Et coniecit iterum viscera eius in ventrem eius, *et* abiit ad caelos in pace.

* p. 209.

Tunc S. Apa Anūb surrexit virtute Christi, abiit ad praesidem, *et* locutus est cum eo, dicens : «O male tyranne, quid est quod dicis mihi? Ecce Dominus meus, I. Christus, sanavit me a cruciatibus tuis, quos attulisti mihi. Interea quod tibi placet, fac mihi, quia non adorabo deos tuos abominandos». Dixit praeses cunctis optimatibus suis : «Venite, videte adolescentem hunc, quia in magiis christianorum et ipse operatur. Vae modo infelici huic! quia pulchritudo eius perdetur in cruciatibus, nec Iesus poterit salvare eum de manibus meis». Et praecepit eum in carcerem duci, donec ad austrum pergeret *praeses et* reverteretur. Apa Anūb vero ferris constrictus est, et in unum e carceribus ductus, quia vere omnia loca hominibus plena erant *inclusis* propter nomen Christi.

* p. 210.

*Cum autem carcerem ingressus fuisset invenit parvum hominum numerum in loco illo[3] . . . . . , *et* ait eis : «Fratres mei, surgite, eamus ad eum, exprobremus idolis eius impuris. Fortasse excruciabit nos, *et* accipiemus paucos nonnullos cruciatus pro nomine Domini nostri I. Christi, ut recipiamus coronam immarcescibilem in caelis». Surrexerunt autem virtute Christi, abierunt ad portum, et invenerunt praesidem conscendisse navem ut ad austrum navigaret cum toto suo exercitu in aliis navibus, volentem pergere ad civitatem

[1] *Ps.* LXXVII, 65. — [2] πολιτεια. — [3] De hac lacuna vide adnot. ad textum.

Athrēbi, ad Cyprianum praesidem et Euhium stratelatem. Clamaverunt voce magna, *dicentes* : «Vivit Christus, Deus noster, non sinemus te ad austrum *ire*, donec sententiam in nos tuleris. Comburaris tu cum Apolline tuo lapideo, et cum aliis diis tuis impuris, et Diocletiano rege tuo impio».

Et timuit praeses, multitudinis clamorem audiens. Ascendit e navi, constituit tribunal iuxta portum, ut excruciaret sanctos. Statim nuntiatum est et aliis multis qui erant in carceribus; exierunt omnes cum magno tumultu, ita ut universa civitas commota fuerit, clamantes omnes uno clamore : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte; non est Deus in caelo, neque super terram, praeter I. Christum, qui dissolvet idola tua abominanda». Tunc praeses, cum vidisset turbarum multitudinem, turbatus est valde, *et* iussit omnes in ore gladii interfici, ab hora III^a^ diei *usque ad horam IX^am^ ita ut sanguis decurreret per plateas civitatis instar aquae; et omnibus caput fuit ablatum, masculis et feminis, parvulis et adultis, pro nomine Christi. Et numerati sunt qui interfecti sunt : fuerunt VIII millia animarum *qui* acceperunt immarcescibilem coronam die IX^a^ phamenōth.

* p. 211.

Ait praeses ministris : «Quiescamus nunc ab hac multitudine clamorum huius gentis veneficae, et eamus in civitatem Athrēbi ad Cyprianum et Euhium stratelatem». Ait illi unus e militibus suis : «Dominus noster praeses, ecce modo adest in carcere adolescens quidam ferro constrictus, nec potuit exire cum istis omnibus, quos interfecisti. Ipse est qui corrupit cor horum omnium qui interfecti sunt. Igitur arcesse eum, veniat ad te ut scias quae sint in corde eius». Et statim adductus est ei S. Apa Anūb, *militibus* eum exagitantibus, cum non posset ambulare propter multitudinem ferrorum quae habebat.

Cum autem super tribunal adductus fuisset, ait ad eum praeses : «Perversum caput[1], equidem ex quo in hanc civitatem venisti, perdidisti eos qui erant in ea; et illi qui iam obtemperaverant mihi ut adorarent deos meos, ecce insurrexerunt iterum contra me. Caeterum en multitudinem hanc universam propter te interfeci; obtempera mihi, veni, sacrifica diis meis gloriosis iuxta mandatum domini mei regis». Statim B. Apa Anūb utramque manum suam stercoribus replevit et proiecit ea in faciem praesidis, dicens

[1] κακη κεφαλη; gallice : «mauvaise tête».

*p. 212. «*O canis rabide, cum rege tuo stulto, ab hora III^a diei usque modo video angelos in aere stantes, ponentes coronam super martyres Domini mei, I. Christi. Ceterum festina, fac mihi quemadmodum vis; habeo Dominum meum, I. Christum, qui solvet perversitates tuas, et omnes cruciatus tuos».

Tunc praeses iratus est valde; iussit manus ac pedes eius ligari, eumque capite deorsum suspendi malo navis suae[1], dicens : «Per magnum deum Apollinem, et Artemidem deorum matrem! non desinet esse capite deorsum ita suspensus, donec perrexero Athrēbi; ut sciam num Iesus Nazarenus deponet eum, an non. Suspenso autem beato Apa Anūb malo navis, conscendit *navem* cum militibus suis, et navigarunt ad austrum versus ad Athrēbi, et totam diem transegerunt navigantes usque vespere. *Tunc* collegerunt velum *navis*; *et* praeses manducavit ac bibit. Et calix, qui erat in manibus praesidis, coagulatus est in manu eius, *ac* factus est lapis; et brachium eius lapis factum est, nec poterat illud extendere, aut retrahere. Milites vero omnes caeci facti sunt, nec poterant videre lucem.

Turbatus est valde praeses; elevavit oculos suos ad adolescentem Apa Anūb, *et* vidit eum, sanguine multo ex ore et nasu eius manante. Statim vidit Michaelem archangelum alis suis corpus beati Apa Anūb tegentem, et sanguinem, *ex ore et naribus eius manantem, abstergentem. Et Michael solvit eum, *ac* posuit eum super scalam[2](?) navis. Praeses clamavit dicens : «Equidem credo in te, o adolescens Apa Anūb, quia tu es famulus Iesu Nazareni, Christianorum Dei. Si sanaveris me, o Anūb de Naēsi, ego et milites mei christiani evademus; quia vere, o domine mi, magnam gloriam tuam vidi hodie oculis meis; nunc non est alius qui narrat mihi ea omnia quae acciderunt tibi». *p. 213.

Dixit S. Apa Anūb praesidi : «Vivit Dominus meus, I. Christus, rex caelestium ac terrestrium, quia non poteris sanari tu cum militibus tuis tecum, donec assentias pergere ad terminum itineris tui, ut omnes sciant non esse Deum praeter I. Christum, filium Dei vivi». Et milites quoque, qui caeci erant, clamabant : «Nos Christiani sumus, *fatemur* aperte, pertinemus ad Deum S. Apa Anūb Naēsiensis». Et ventus flavit in velum *navis*, donec appulerunt ad

[1] Ad litteram : «navis, cui erat impositus» (praeses), quam tamen ad tempus reliquerat ut tribunali vacaret. — [2] σκαλα.

civitatem Athrēbi. Cum autem appulissent ad civitatem Athrēbi, praeses non poterat sursum surgere ut ambularet.

Cum vero milites adscendissent, abierunt apud tetrapylon civitatis. Invenierunt Cyprianum praesidem et Euhium stratelatem, ferentes sententiam in martyres pro tribunali. Tunc milites diruperunt cingula, quibus erant accincti, *et* proiecerunt ea in faciem Cypriani, dicentes : «Nos christiani sumus, pertinemus ad Deum Apa Anūb». Respondit Cyprianus, *et* ait : «Quisnam profecto est iste Anūb? Quomodo *venistis huc? Quare derelequistis civitatem vestram?» Dixerunt ei milites : «Si praeses non invenit favorem[1] apud Apollinem, ut *iste* sanaret eum, quomodo credemus illi?» Ait illis Cyprianus : «Ubi est praeses?» Dixerunt ei : «Est in navi, nec ambulare potest quia famuli Christi percusserunt eum. Et nos quoque caeci facti sumus, *ac* palpantes, donec venimus huc ad vos». Respondit praeses, *et* ait : «Baiuletur et ducatur ad me». Et baiulaverunt eum V homines, *et* duxerunt eum ad tribunal. Ait ei Euhius stratelates : «Quisnam est e christianis, qui magiam fecit adversus te ut aegrotares?» Dixit eis Lusias praeses : «Est hic apud me adolescens quidam penitus obscurus (ignotus); ecce christiani multi in manus meas venerunt, *et* non vidi unquam similem ei». Statim praeceperunt, *et* adduxerunt sursum beatum Apa Anūb solutum, virtute Michaelis accinctum. Facies eius solis instar splendebat, oculi eius erant sicut stella matutina, *et* facies eius rubescebat tanquam unus qui e convivio surrexit[2]. *p. 214.

Ait ei Cyprianus : «Quodnam est nomen tuum, o adolescens?» Dixit ei sanctus : «Anūb est nomen meum, ego famulus Domini mei I. Christi sum; veni huc ut fundam sanguinem meum pro nomine eius beato. Ecce veni huc ut confundam vos et idola vestra abominanda quae semetipsa salvare non possunt, ut *postea* et alios salvent». *Ait illi Cyprianus : «O mage, ne cogites te nunc in Gemnūti esse, sed scias cruciatus tribunalis huius magnos esse. Caeterum obtempera mihi, sacrifica diis, ne modo moriaris per manus meas». Respondit sanctus Apa Anūb, *et* ait : «Absit a me ut hoc faciam, o sceleste praeses, *ac* derelinquam Dominum meum, I. Christum, *et* adorem idola tua. At tu atheus es cum rege tuo quoque Diocletiano». *p. 215.

Iratus est praeses, iussit eum vestibus suis exui *ac* centies

[1] παρρησια. — [2] Ad litt. : «qui cessavit in (a) convivio».

ictibus nervi taurei[1] caedi, postea super lectum ferreum collocari, *ac* ignem accendi sub eo cum sulphure et pice, donec flamma eius duodecim cubitis sursum adtolleretur. Beatus vero oravit dicens : «Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, et superlaudabilis et superexaltatus in saeculum[2]. Domine mi Iesu, auxiliator meus, 5 audi me in hoc igne. Amen. Alleluia. Domine mi Iesu, redemptor meus, salva servum tuum hodie. Amen. Alleluia. Domine mi Iesu, lux mea vera, audi clamorem meum in medio huius ignis. Amen. Alleluia. Domine mi Iesu, spes mea et protector meus, salva servum tuum. Amen. Alleluia. Domine mi Iesu, liberator meus, veni 10 cito ad me, adiuva me in medio luporum istorum rapacium, ut haec turba congregata videat me, *et* glorificent nomen tuum beatum; quia tua est gloria cum Patre tuo bono, et Sp. sancto in aeternum. Amen».

Cum absolvisset Amen, S. Apa Anūb, ecce Dominus I. Christus 15 venit ad eum *curru splendenti impositus, Michaele ad dexteram eius, Gabriele ad sinistram eius stantibus, *et* ait illi : «Viriliter age, o dilecte mi Apa Anūb, ne timeas, ego sum Dominus tuus, tecum sum, ne animo despondeas. Ecce constitui tibi Michaelem archangelum ut stet, *et* roboret te. Ego sum Iesus, rex tuus, pro cuius no- 20 mine beato hos cruciatus suscipis. Dico tibi, o dilecte mi, Apa Anūb, hic praeses martyr erit cum animabus multis per te. Excruciabunt te hic duabus vicibus; Michael tecum stabit *et* roborabit te; nec ullum malum tibi praevalere poterit. Et mittent te Racoti ad Armenium comitem, *et* in loco illo consummaberis. Statuam tibi Iulium 25 Chbehsensem commentariensem, ut sepeliat corpus tuum *ac* mittat te ad pagum tuum. Iuro per memetipsum et angelos meos beatos, quicumque ministraverit corpori tuo ut sepeliat illud, vel adlaboraverit ad induendum corpus tuum, corpus eius quoque induam in regno meo in aeternum. Qui meminerit tui ut martyrium tuum 30 scribat, vel mercedem dederit ut scribatur illud, scribam nomen eius in libro vitae, *et* si adhuc peccata commiserit, dimittam haec ei. Qui dederit panem esurientibus, egenis et pauperibus propter te, in die commemorationis tuae, ego Deus omnipotens, accumbere eum faciam in convivio mille annorum. Qui nudum vestierit, 35 vel peregrinum susceperit ad se in nomine tuo, ego Deus omnipotens delebo omnia peccata eius, sive in occisione, sive in *fornicatione, sive in iureiurando falso, sive in furto, sive, uno verbo, in omni peccato, dimittam ei propter te».

*p. 216.
*p. 217.

[1] ταυρεα. — [2] *Cant. Azar.*, II, 30.

Et praecepit Michaeli archangelo, *qui* statuit illum incorruptum, et ignis abiit, *ac* factus est velut aqua frigida. Salvator extendit 5 manum suam super eum, sanavit eum *et* roboravit eum. Dixit Apa Anūb Salvatori : «Domine mi, et Deus meus, iubeas volo ut afferant corpus meum ad pagum meum in terra parentum meorum». Ait ei Salvator : «Omnia quae postulaveris perficiam ea tibi». Cum autem Salvator finem fecisset haec dicendi ei, signavit eum, replevit eum 10 robore, *et* abiit sursum ad caelos in gloria.

Surrexit vero S. Apa Anūb, abiit ad tetrapylon, invenit Cyprianum praesidem, et Euhium stratelatem, et Lusiam praesidem Ǧemnūti, et Marcellum, qui venerat ipse cum multis militibus, ac scriptis a rege Diocletiano. Invenit eos sanctus scripta legentes : 15 «Vigilate! vigilate! ne sinatis ullum hoc nomen Iesu proferre sub toto caelo, et date gloriam Apollini, et Iovi, et Athenae et Artemidi, et universus orbis[1] adoret eos quia vere illi sunt qui dant nobis victoriam in bello. Quisquis magus, quisquis praestigiator, quibus praevalere non potuistis, mittite eos in exilium ad civitatem 20 Racoti, ad Armenium comitem, ut interficiat eos absque indulgentia».

*Paullulum toleravit iustus Apa Anūb donec scripta legerunt, et statim prosiliit in virtute Dei, abstulit chartam e manibus praesidis, discidit eam ac in illorum faciem proiecit, dicens : «Confundamini, o scelesti athei, cum surdo Apolline vestro. Quomodo 25 magos vocatis famulos Christi? Absit! Vides quid feceris mihi heri : ecce venit ad me Dominus meus I. Christus, *et* roboravit me, ut confundam te ac deos tuos abominandos».

*p. 218.

Cum autem vidisset eum Cyprianus praeses, repletus est ira, frenduit dentibus suis in S. Apanūb ita dicens ei : «O mage im- 30 probe, quomodo potuisti venire iterum coram me? Per magnum Deum Apollinem, et Artemidem deorum matrem, nemo ex hoc genere christiano molestiam attulit mihi, nisi adolescens iste veneficus magus». Statim iussit afferri subsellia[2] duo ferrea, *ac* super ea eum collocari fecit, *et* ignem sub eo accendi. Et iussit afferri 35 duas terebras, igne candentes, *et* in oculos eius immitti, easque circumagi, donec pupillae oculorum eius effossae sunt, *ac* in manibus eius ceciderunt.

[1] οικουμενη. — [2] συμψελιον.

Beatus vero Apa Anūb ait : «Gratias ago tibi, Domine mi I. Christe, quia me alienum fecit *praeses* oculis perversis, qui respiciunt cum astutia, et malo intuitu Satanae, et concupiscentia mulierum». Post haec iussit afferri astērion[1], habens os serrae, et in illud proiici sanctum, * *ac illud* super eum agi, donec corpus eius disruptum est, et in tres partes divisum. Pars una a pectore eius sursum, pars altera usque medium eius, et *altera usque* pedes eius. Et clamabat dicens : «Audi me, Domine mi I. Christe, audi me, o auris quae audit, ausculta, ocule qui videt, quia tua gloria est in aeternum. Amen».

*p. 219.

Haec autem cum diceret, ecce archangelus Michael descendit de caelo, confregit astērion, illud in duas partes divisit, et sancti membra ad invicem coniunxit. Et pupillas quoque oculorum eius restituit ei ut antea *erant*, statuit eum super pedes eius incorruptum, *et* ait ei : «Viriliter age, o Apa Anūb, ego tecum sum roborans te, ut immarcescibilem accipias coronam, *et* multitudo haec per te credat». Haec autem cum dixisset ei, sursum ad caelos abiit.

Beatus vero Apa Anūb Dei virtute surrexit incorruptus, universa eum spectante multitudine. Multitudo autem civitatis Athrēbi clamavit dicens : «Nos christiani sumus, *fatemur* aperte, pertinemus ad Deum Apa Anūb de Naēsi.» Exiliit sursum Magmentius praeses Thmūi, apprehendit vestes quibus erat indutus, *et* scidit eas; detraxit calceamentum pedum suorum, et impegit illud super caput Cypriani, et Lusiae et Euhii, dicens eis : «O vos, quorum oculi excaecati sunt rabie patris vestri diaboli, nonne videtis virtutes et glorias quas Iesus dat martyribus suis? Quare ego christianus sum cum iis omnibus qui * ad me pertinent. Disperdantur idola et omnes qui colunt ea».

*p. 220.

Cum autem praeses vidisset perturbationem magnam, quae in civitate facta fuerat, iussit ministros gladio persequi eos qui confitebantur Christum. Gladio persecuti sunt eos a mane usque ad horam VI^am^; et numerati sunt qui interfecti sunt, et erant DCCCLXXXV animae, quae sanguinem suum fuderunt pro nomine Domini nostri I. Christi die VIII^a^ mensis pašons, in pace Dei. Amen. Et sanctus Apa Anūb confortabat eos, donec coronam incorruptibilem in caelis acceperunt.

Dixit Euhius stratelates iusto Apa Anūb : «O Anūb Naēsiensis,

[1] ἀστηριόν.

num iam persuasus es sacrificare diis? en vides multum istum sanguinem qui per te effusus est; maxime quod errare feceris cor praesidis et militum eius. Caeterum relinque verba haec inania; veni, adora Apollinem, iuxta mandatum domini nostri Diocletiani». Respondit S. Apa Anūb, *et* ait : «O canis rabide, si dominus tuus est Diocletianus, attamen non est dominus meus, sed dominus meus est I. Christus; ipse est Dominus caeli et terrae. Ipse est qui humiliat et exaltat, et humiliat superbos omnes instar tui ac patris tui diaboli».

Cum autem audisset haec, furore iratus est *Euhios et* iussit afferri bipennem acutam, *ac* sanctum super dorsum eius proiici. Et amputati sunt securi ambo pedes eius a * genubus[2]. Et iussit ambo brachia eius abscindi a iuncturis (cubito); et abierunt, ac reliquerunt eum iacentem. Clamavit praeses dicens : «Per magnum deum Apollinem praevalui huic scelesto hac vice; veniat modo Galileus iste Iesus, *et* liberet eum de manibus meis; nam non est deus, praeter Apollinem et Artemidem». Cum autem turba civitatis vidisset sanctum iacentem, *ac* cadaver factum in cruciatibus, doluit valde super eum, dicens : «Hac vice mortuus est!» Praeses iussit congregari canes civitatis in locum ubi positum erat corpus iusti, ut devorarent carnes eius. Nemo cognoscebat eum ut vigilaret eum, praeter adolescentem quemdam civitatis, nomine Apoli.

*p. 221.

Tunc archangelus Michael deorsum de caelo venit, Suriele et Raphaele cum eo ambulantibus. Apprehenderunt membra corporis eius, ea invicem coniunxerunt, et exsufflarunt in faciem iusti *qui* surrexit incorruptus. Dixit ei Suriel : «Viriliter age, o athleta, certator egregie, confortare, nos tecum sumus roborantes te, ut confundas hunc scelestum et idola eius. Ecce ferent te in civitatem Racoti ad Armenium comitem, et excruciabit te. Nos tecum venimus ut sanemus te. Postea sententiam in te feret ut auferatur caput tuum in loco illo, et Iulius Chbehsensis condiet corpus tuum, *ac* mittet * te ad pagum tuum. Multae sanationes per te fient in loco ubi ponetur corpus tuum; Dominus benedicet loco illi in saeculum saeculorum. Omnes homines quavis infirmitate laborantes, si adoraverint super corpus tuum, salutem donabimus eis. Qui falsum iusiurandum iuraverit in topos tuo, aut vanitatem egerit

*p. 222.

[1] Vide notam ad textum inter *Addenda et Corrigenda*.

ibi, ulciscemur eum, ut sit in inopia usque in aeternum». Cum autem haec dixissent sancto Apa Anūb Michael, et Suriel, et Raphael, abierunt sursum ad caelos in gloria.

S. vero Apa Anūb surrexit, abiit ad carcerem, ambulans, *ac* benedicens Deum, multitudine magna eum sequente, masculis et mulieribus, parvulis et adultis, senibus et pueris, clamantibus, *ac* dicentibus : «Non est deus in caelo neque super terram, praeter Deum Apa Anūb, beati I. Christi martyris». Et clamor eorum venit ad arrogantes *et* impios praesides : «Ecce adolescens Apa Anūb modo est in carcere, multitudine magna ad eum congregata, sanans infirmos, lumen caecis tribuens, eiicens daemones, mutos loqui faciens, leprosos mundans, claudos ambulare faciens».

Ait Cyprianus : «Nondumne canes et aves caeli devoraverunt corpus eius? Quid est quod faciemus huic mago, quia confundit nos valde, et civitatem universam incitat[1] adversum nos?» *Respondit Lusias cum Euhio stratelate : «Equidem dominus noster, rex Diocletianus, praecepit nobis *dicens* : 'Qui e magis christianis superaverit vos, mittite eum Racoti ad Armenium comitem, ipse interficiet eos'. Igitur mittamus magum hunc Anūb Racoti apud Armenium ut effugiamus probra eius et confusiones eius, ne corrumpat universam multitudinem hanc». Dixit Cyprianus praeses : «Equidem optime dixisti; hic enim est modus quo requiem habebimus ab eo, spernente deorum potentiam».

Statim miserunt ad carcerem *et* adduxerunt S. Apa Anūb super tribunal ferri instar firmum[2], *ac* multitudine magna post eum ambulante, masculis et mulieribus clamantibus : «Morte qua morietur Apa Anūb, et nos ea moriemur». Tunc cum vidissent praesides non futurum iri quod ei praevalerent, sederunt, *et* scripserunt ita : «Nos[3], Cyprianus, et Lusias praeses, et Euhius stratelates, scribimus ad dominum nostrum Armenium comitem Racoti, salve! Ecce perficimus mandatum domini nostri regis Diocletiani, ut universus orbis adoret Apollinem et Artemidem. Et ecce invenimus adolescentem quemdam in nomo Nimešoti. Hic vero magus est; non est inter christianos praestigiator sicut ille, nisi Victor, filius Romani. Egitque ut multitudo universa adversus nos consurgeret; et multos absque numero interfecimus. Timuimus ne *bellum adversus nos consurgeret propter eum. Ecce misimus eum ad

*p. 223.
*p. 224.

[1] Ad. litt. : «corrumpit». — [2] Sic textus. — [3] Textus : «ego».

te; quod tibi placet, fac ei, quia erga eum non valemus. Vale cum diis».

Et obsignarunt epistulam, *ac* tradiderunt eam militibus. Attulerunt ferra multa, *et* posuerunt ea manibus ac pedibus sancti Apa Anūb. Erant librarum c. Cum traxissent iustum, ut navi imponerent eum, *ac* Racoti navigarent, surrexerunt turbae civitatis et pagorum finitimorum, apprehenderunt beatum A. Anūb, clamantes, *ac* dicentes : «Nisi interfecerint nos, non dimittemus famulum Dei, sed morte, qua morietur, et nos moriemur». Illico timuerunt scelesti praesides, *et* iusserunt milites ac ministros nudare gladios, ut turbam caederent, masculos et feminas, parvulos et adultos, servos et liberos; ita ut sanguis in flumen decurreret, instar cataractae pluviae. Alios quidem proiecerunt in flumen, *et* mortui sunt, aliis caput abstulerunt, alios semimortuos reliquerunt, donec spiritum suum tradiderunt, beato Apa Anūb stante, et confortante eos, dicente : «Confortamini, viriliter agite, ut digni caelorum regno efficiamini»; *et* angelis lucis coronas super multitudinem universam ponentibus. Et numerati sunt qui interfecti sunt in illa die *et* erant mille homines, *ac* LXXXII mulieres. Coronam incorruptibilem acceperunt die x^a^ mensis paōni.

Et statim beatum Apa *Anūb navi imposuerunt, ad austrum cum eo navigaverunt, sancto Apa Anūb in arca navis orante, *ac* dicente : «Gratias ago tibi, Domine mi, I. Christe, quia requiem dedisti spiritui meo. Vidi angelos tuos, Domine mi, coronas martyribus tuis beatis imponentes. Da mihi virtutem, o Domine mi, I. Christe, ut voluntas tua super me impleatur. Tu scis, Domine mi, quia ego peregrinus sum, ad regionem aliam a pago meo remotam allatus. Nullum de meis habeo, qui comitetur me, neque patrem, neque matrem, qui quaerant corpus meum, neque consanguineum, neque conterraneum, qui ossa mea ad pagum meum ferat. At tu, Domine mi I. Christe, frater meus es, et soror mea, tu es protector meus, tu es refugium meum, spero in te, ne derelinquas me». Et non cessavit orare et deprecari usque ad mediam noctem.

Media vero nocte ecce archangelus Michael venit ad eum in arca navis, fecitque ut tota navis noctu resplenderet sicut in die. Dixit ei : «Salve, Deo dilecte, Apa Anūb; salve omnibus qui per te crediderunt; confortare, ne animo deficias, quia vere perficiam petitiones omnes tuas; dabo tibi modum loquendi cum comite, donec

*p. 225.

accipias immarcescibilem coronam». Statim dedit ei pacem, *et* sursum ad caelos abiit in gloria.

Post haec autem navigaverunt ad austrum, donec pervenerunt ad pagum quemdam, nomine Šetnūphi, et reversi sunt ad septentrionem in flumen occidentale. Tertia vero die absoluta, appulerunt ad pagum quemdam nomine Tūphōt. Invenerunt praesidem *sententiam in famulos Christi ferentem in circo (?) Tūphōt in littore, scilicet in sanctum Paēsi cum sorore sua Thecla et sene alio presbytero, quibus iam beatum caput ablatum erat, eorum corporibus in medio iuncorum ac tribulorum proiectis; nec ullus poterat eorum corpora tangere, ob metum ministrorum, qui invigilabant eis.

*p. 226.

Cum autem ad litus appulissent, ut sibi invicem occurrerent milites, singuli narrarunt ea quae viderant in civitatibus ac nomis suis. Milites vero, qui *navi* impositi erant cum Apa Anūb, et ipsi narraverunt quae viderant. Et sederunt, manducarunt *ac* biberunt simul tota illa die.

Cum vero hora IXª facta esset, ecce venit super navem mulier quaedam, cum qua erat spiritus immundus, eratque caeca et surda a pueritia sua. Clamavit magna voce, dicens : «Bene venisti, o Christi famule, Apa Anūb, Aegypti inferioris[1] incola; bene Deus invitavit te ad hoc bonum agonem; bene fudisti sanguinem tuum pro nomine Christi, sicut fratres tui Paēsi et Thecla eius soror, et hic quoque senex presbyter. O martyr Dei, Apa Anūb, ecce XLVI annis sum cum hac muliere, gaudens super eam, ac ferens eam in aquam et ignem. Cum modo transiens venissem, orationes tuae beatae coegerunt me ut venirem huc ad te. Caeterum rogo te, o domine mi, A. Anūb, ut patiaris me abire in profunda loca maris rubri».

*p. 227.

*Respondit S. Apa Anūb, *et* ait daemoni : «Non poteris abire, donec eas apud hos praesides, *et* excrucies eos, nec sinas eos manducare neque bibere, donec ducant me ad civitatem Racoti ut agonem meum absolvam». Illico daemon insiliit in medium praesidum ac militum, afflixit eos, et apprehendit calices qui erant in manibus eorum, *et* confregit eos super caput eorum, dicens : «O vos qui Deum caeli dereliquistis, *et* idola mortua coluistis, non veremini sedere, manducare, *ac* bibere, dum S. Apa Anūb est in arca navis?» Praesides autem sciebant mulierem non loqui unquam;

[1] Septentrionis.

obstupuerunt, mirati sunt, *ac* timuerunt, non manducaverunt neque biberunt.

Dixit praeses Tūphōt militibus Athrēbi : «Fratres mei, surgite, tollite magum hunc ex hoc loco, ne sinatis alios eum videre et sequi eum». Milites adscenderunt navem ut solverent. Statim mulier adscendit navem cum eis, dicens : «Vivit Dominus, ad locum, quo feretis Apa Anūb, venio et ego cum eo, ut martyr sim pro nomine Christi». Et milites apprehenderunt eam, *ac* proiecerunt eam ad litus. Ipsa vero apprehendit bolida[1] (?) navis *et* clamorem edidit. Et venit unus militum, *et* abstulit caput eius. Annumerata est numero martyrum, accepit immarcescibilem coronam die XXVIIª paōni.

Post haec navem solverunt, ad septentrionem profecti sunt cum S. Apa Anūb, *et* venerunt in civitatem Racoti die IIª mensis epēp. Et invenerunt Armenium *comitem sedentem pro tribunali, nonnullos Christi famulos iudicantem. Milites vero dederunt ei scripta. Ipse autem accepit ea, legit ea, *ac* miratus est super fortitudinem sancti, *et* ait militibus : «Qualis[2] est adolescens?» Milites vero adnuntiarunt ei *dicentes* : «Est in arca navis ferro vinctus». Armenius vero comes iussit beatum Apa Anūb sursum educi, militibus exagitantibus eum. Cum venisset super tribunal, dixit : «Tribunal, tribunal, hodie iterum ad te veni in virtute Domini mei I. Christi».

*p. 228.

Armenius vero comes cum vidisset eum, dixit ei : «Equidem ex quo vidi te ad me nunc ingredientem, dilexi te ac si esses filius meus; sed cum audissem te hoc nomen Iesu proferentem, odiosus factus es coram me. Caeterum, fili mi, obtempera mihi, dimitte hoc nomen, in quo nulla utilitas est, quia vere multi propter illud iacturam vitae suae fecerunt. Quid tibi quidem cum hoc nomine Iesu, quem Iudaei crucifixerunt, *et* suspenderunt eum super crucem dicentem : 'Ego sum filius Dei', nec potuit semetipsum salvare, donec interfecerunt eum?»

Ait S. Apa Anūb ad comitem : «Claude os tuum, sile, o fera carnivora, o tu quem Deus perdet in spiritu oris sui. O tu cuius carnes, una cum rege quoque tuo impio devorabunt canes et aves. O tu cui puteus abyssi erit habitaculum in aeternum cum verme qui non moritur, ac stridore dentium. Credo Dominum meum

[1] μονοβολος. — [2] Expectares : «ubi».